Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4 = 6.200

Digitized by Google

JACOBI FACCIOLATI

DE

GYMNASIO PATAVINO

SYNTAGMATA XII.

EX

EJUSDEM GYMNASII

FASTIS EXCERPTA.

PATAVII, MDCCLII.

Ex Typographia Seminarii.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

TRIUMVIRIS
GYMNASII PATAVINI
REFORMATORIBUS

JOANNI EMO
D. Marci Procuratori
BARBONO MAUROCENO
Eq. D. Marci Procuratori
JOANNI MOCENICO
Eq. D. Marci Procuratori
TOTIQUE EORUM ORDINI.

CUM Univerſitatis Pariſienſis hiſtoricus Cæſar Egaſſius Bulæus ſex maximæ formæ volumina edidiſſet, Hadrianus Baillettus acerrimi judicii vir pronunciavit, iccirco laborioſum hominem & mul-

tos & ingentes dediſſe libros, quod unum aliquem exiguum, qui bonus eſſet, ſcribere neſciret. * Id ita me animo & cogitatione commovit, ut quamvis pro noſtræ hujus magnitudine Univerſitatis multa paraverim, veſtriſque judiciis ſubjecerim, tutius exiſtimem, libellum emittere, vel præmittere. Fortaſſe ne is quidem ex illis erit, qui Bailletto probabantur: ſed tamen mala quoque, ſi parva ſint, ferri poſſunt, & pro humana conditione debent. Non ignoro, quid mei muneris ſit, quid rei natura ferat, quid dignitas veſtra poſtulet: ſed, ut nunc eſt, ſatius videtur talia quædam dare, ex quibus ſine magno temporis

diſ-

* Baillet Jugem. T. II. P. I. pag. 151. Monſieur du Boulay etoit de ceux, qui ſont de gros livres, faute d' etre capables d' en faire de petits, qui ſoient bons.

diſpendio cognoſcere poſſitis, cujuſmodi Gymnaſium ſit curæ veſtræ commiſſum; quale nos a majoribus acceperimus, quale poſteris tradituri ſimus.

IN.

INDEX

SYNTAGMA I.

De Gymnaſii Patavini origine.

SYNTAGMA II.

De Scholaribus, & eorum Rectore.

SYNTAGMA III.

De Profeſſorum Electione.

SYNTAGMA IV.

De Tempore docendi.

SYNTAGMA V.

De Modo & ratione docendi.

SYNTAGMA VI.

De Circulis & concertationibus.

SYNTAGMA VII.

De Doctoris Laurea Titulisque ſcholaſticis.

SYN-

SYNTAGMA VIII.

De Gymnaſii frequentia, & infrequentia, earumque cauſſis.

SYNTAGMA IX.

De Cauſſis & Controverſiis, quæ ad Patavinæ Univerſitatis Collegia afferuntur.

SYNTAGMA X.

De Gymnaſii Collegiis ad recipiendos alendoſque Scholares inſtitutis.

SYNTAGMA XI.

De Gymnaſii Regimine.

SYNTAGMA XII.

Compromiſſum de Artium Rectore, & vetera quædam Titulorum diplomata.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. Franceſco Antonio Mantoa* Inquiſitore Generale del S. Officio di Padova, nel Libro intitolato : *Syntagmata XII. ex Faſtis Gymnaſii Patavini excerpta Jacobi Facciolati* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Gio: Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 24. Aprile 1752.

(
(Barbon Moroſini Cav. Proc. Riſ.
(Alviſe Mocenigo IV. Cav. Proc. Riſ.

Reg. in Libro a Carte 22. al Num. 244.
Gio. Girolamo Zuccato Segretario.

adì 27. Aprile 1752.
Reg. nel Mag. Ecc. degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Segretario.

SYN-

SYNTAGMA I.

De Gymnaſii Patavini Origine.

QUi res Gymnaſii Patavini curarunt, quamdiu Civitas libera fuit, vel ſuis Principibus paruit, nihil fere memoriæ publicæ retinendæ cauſſa litteris mandarunt; vel ſi qua ſunt ab iis ſcripta, per bella & incendia periere. Itaque initia ipſa rei tantæ in tenebris latent; atque illi ipſi Scriptores, qui propius aberant ab origine, ſcholaſtica jura, quod deeſſet auctor melior, ad inveteratam conſuetudinem retulere. Hoc nomine extulit ſe primum tanti operis fabrica, Epiſcopo præſide, tum pro veteri inter litteras ac religionem ſocietate, tum pro ejus ætatis more, qua Epiſcopi non in rebus modo ſacris, ſed plane omnibus civitatis Principes habebantur.

Hiſtorici noſtri, aliique non pauci, qui certi aliquid ſtatuere conati ſunt, fundamenta pri-

ma poſita fuiſſe putant anno poſt ſæculum duodecimum altero & viceſimo, ſecuti auctores ſine nomine editos poſt Rolandini Chronica, qui ſcriptum reliquerunt, Fridericum II. Imperatorem, Bononienſibus iratum, eorum ſcholas per id tempus ad Patavinos tranſtuliſſe. At nos ab iis diſcedere cogimur cum aliis de cauſſis, tum vel maxime, quod ex Sigonio de Regno Italiæ, ex Ghirardacio, ex Vizzano, & ex Chronicis Bononienſibus * habemus, nihil moviſſe Fridericum in re hac ante annum MCCXXV. tunc autem conatum eſſe, interdictis Bononiæ ſtudiorum exercitationibus, Neapolim ſcholas avertere; urbem videlicet ſuam, in qua publicam litterarum & artium omnium Academiam anno ſuperiore condiderat. Illud vero propius fidem eſt, expulſos Bononia juvenes, & Neapolim invitatos, in loca migraſſe viciniora, Patavium dico, urbem Friderico non ſane devotam, ſed in qua tamen bonarum artium ſtudia, quoquo modo poterant, exercebantur. Nam ſuperioribus annis docuiſſe Patavii Paduanum Arſegninum Grammaticum, & Antonium Lium, ſeu Leum, qui Juriſprudentum Vertex dictus eſt, ſcribit Scardeonius l. II. claſſe VIII. & X. Per hæc autem ipſa tempora Simonem Legum Doctorem invenimus, qui teſtis affertur in Actis Cathedralis Eccleſiæ anno MCCXXVII. & alios paſſim eodem titulo ornatos. Juris quoque Canonici Doctores memorantur in vetuſtis tabulis apud Cœnobitas Dominicanos; ubi refertur

tur

* *Vol. XVIII. Rer. Italic.*

tur fundi emptio, in quo eorum templum & cœnobium conditum eſt. *In C. N. A. Anno ejuſdem Nativitatis* 1226. *Ind.* 14. *die* 13. *exeuntis Octobris, præſentibus Domino Jordano Priore S. Benedicti, Magiſtro Rufino Decretiſta, Magiſtro Jacobo Decretaliſta*. Ex quo loco manifeſtum eſt, etiam ante Gregorianam collectionem fuiſſe apud nos *Decretaliſtas*, ideſt Decretalium Epiſtolarum interpretes, qui priores Collectiones exponerent, unde ducta & prolata longius hæc ſtudia ſunt.

Cæterum, ut negare non auſim, quod multi ſcribunt, anno demum MCCXLI. Imperatorem, rurſus Bononienſibus infeſtum, de ſcholis illis ad nos transferendis cogitaſſe, quod jam Patavium ab anno MCCXXXVI. in fidem acceпiſſet, ſic valde miror, quomodo & Imperiale diploma, & omnis rei tam gravis memoria ita interciderit, ut in publicis actis, & in vetuſtis magiſterii laureæque tabulis, quæ Privilegia dicuntur, non alia forma honores titulique ſcholaſtici conferantur, quam *ex inveterata conſuetudine, & Romanorum Pontificum indulgentia*. Utcunque ſit, ex hoc ipſo anno, & ex hac potiſſimum cauſſa Hiſtorici graviſſimi Blondus, Sabellicus, Sigonius, Egnatius, Cavatius, & alii Gymnaſii Patavini exordium & originem duci volunt. Illud plane certum eſt, victo expulſoque anno MCCLVI. Imperiali Vicario Acciolino, Gymnaſium hoc majorem quandam ſpeciem, & publicæ Univerſitatis formam ſumpſiſſe. In quo arcana Divinæ Providentiæ conſilia

obiter notare lubet. Cum enim ſæviſſima Acciolini dominatione Patavium conflictaretur, duo illi ingentium bonorum fontes aperti ſunt, quibus adhuc viget ac ſuſtentatur, D. Antonii ſepulcrum, & publicum Gymnaſium: quæ bona ajunt Antonium ipſum, morti proximum, lætitia quadam nec opinata divinitus perfuſum, per ambages, ut Prophetæ ſolent, Patavinis prænunciaſſe. Sed rem paullo altius repetamus.

Expulſo ab Herulis Auguſtulo, una cum Romano Imperio cecidere litteræ ac diſciplinæ; nec vero ſtare poterant inter cædes atque incendia, quæ irruentes undique Barbari Italiæ intulerant. Afflictas & labantes ſæculo ſexto pauci quidam docti viri ſuſtinuere: at vero, ineunte ſeptimo, plane jacuerunt; niſi quatenus religionis ratio poſcebat, ut eſſent in Epiſcoporum ædibus, Romæ vero præſertim, qui ſacram doctrinam & cantum Eccleſiaſticum traderent initiandis.

Octavo non defuere Grammatici, qui latinam eruditionem ſe tenere profiterentur: quo quidem nihil amplius requirebatur, nondum conſtitutis majoribus diſciplinis, unde immenſa quædam rerum diſcendarum moles temporibus noſtris incubuit. Hoc vel maxime Carolo Magno ſicuti Gallia, ita etiam Italia acceptum referre debet. Princeps hic velut e cœlo miſſus ad reparandam Romani Imperii dignitatem non putavit rem tantam ſine litterarum præſidio perfici poſſe. Itaque, expulſis Longobardis, quantum otii ab armis fuit, tantum litteris tribui juſ-

juſſit, prægreſſus ipſe exemplo ſuo. Nam & Grammaticum Petrum Piſanum, grandi jam ætate cum eſſet, audire voluit, & Dungalo Monacho, & Paullo Diacono, & Alcuino Anglo, viris ejus ætatis eruditiſſimis, plurimum uſus eſt. Horum conſilio Palatinas ſcholas inſtituit; Epiſcopales, & Cœnobiticas auxit; &, ad Imperialem dignitatem cum perveniſſet, Gymnaſia Generalia tria in tribus Imperii partibus condenda judicavit, ad quæ, tamquam ad commune artium omnium ac diſciplinarum emporium, ſtudioſa juventus conveniret. Fortuna etiam ipſa ejus famæ atque honori favit. Etenim omnes fere Academiæ, quæ certo auctore carent, ad hæc tempora ortum ſuum referunt, parentemque Carolum vocant. Et ne quid ejus gloriæ vel ex ambiguo deeſſet, ſingulare Caroli Calvi ſtudium erga litteras ac diſciplinas, Scriptores non pauci nominis ſimilitudine decepti, ad Magnum tranſtulerunt.

Sæculo nono humanitatis & doctrinæ ſtudia friguerunt. Attamen Ludovicus Pius patris exemplum ſecutus curavit, ut nihil Epiſcopis, aut Monachis deeſſet, non ſolum ad religionis munia cum dignitate obeunda, ſed etiam ad docendi onera ſuſtinenda. Qua in re Synodi VI. Pariſienſis Patres ejus conſilium & providentiam laudibus extulerunt, additis precibus, ut paternæ voluntatis memor de tribus ipſis publicis Gymnaſiis pro regionum opportunitate conſtituendis tuendiſque ſerio cogitaret.

Temporibus hiſce valde obſcuris Fuldenſe Ger-

maniæ Cœnobium Muſis perfugium præbuit. Græci quoque vetuſtæ gloriæ memores publicas artium ſcholas Conſtantinopoli inſtaurarunt, curante Barda Theodoræ Imperatricis fratre, & Michaelis III. Imperatoris avunculo, qui Magiſtris omnibus totique Academiæ Leonem Philoſophum ea ætate celeberrimum præfecit. Lotharius Ludovici filius, Italiæ regnum cum accepiſſet, ſtatim rei tam neceſſariæ cogitationem ſuſcepit, & per *Capitulare de doctrina* certis in urbibus magiſtros eſſe juſſit, ad quos audiendos juventus omnis, ut quiſque eſſet opportuniſſimus, ſe conferret. Quin etiam Eugenius Pontifex hujus nominis ſecundus, Concilio Romæ habito, juſſit Epiſcopos in ædibus ſuis magiſtros alere; nec aliter Sacerdotia per vicos & oppida conferre, quam ſi Presbyteri promitterent, ſe litteras popularibus ſuis tradituros, idque ſacramento confirmarent. Attamen, neſcio quo fato, vicit inertia, omnemque fere extinxit & bonarum artium & Latinitatis ſenſum.

Hoc ipſo deterius fuit ſæculum X. graſſante per omne vitiorum genus ignorantia. Vix tantum litteris datum, quantum ad exercendam quoquo modo religionem ſatis eſſe videretur, cujus facies admodum fœda exitio proxima fuit, tantumque non periit, quia perire non poterat.

Sæculo XI. litteræ ac diſciplinæ movere quaſi lacertos cœpere, auctore ac duce Silveſtro II. Pont. Max. non modo Romæ, quam Urbem nunquam prorſus deſeruerant, ſed in aliis quoque Italiæ partibus. Brevi autem ita crevere,

ut

ut ad exteras quoque regiones erudiendas Itali noſtri acciri potuerint. Nam B. Lanfrancus Ticinenſis, litterarum & artium ſine controverſia per id tempus inſtaurator, primum ad Gallos profectus, in duobus Nortmaniæ monaſteriis, Beccenſi, & Cadomenſi docuit, in altero Prior, Abbas in altero creatus; deinde vero ad Britannos perrexit, quibus ſe ita diſputando probavit, ut anno MLXX. ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum evectus fuerit. Hunc ſecutus eſt iiſdem ferme veſtigiis D. Anſelmus ejus diſcipulus, Auguſtæ Prœtoriæ natus, eademque prorſus doctrinæ ſuæ præmia & in Gallia, & in Anglia obtinuit. Uterque autem plurima ſcripſit, quæ adhuc in pretio ſunt. Hoc eodem ſæculo ſacra Muſica, cujus ſtudium apud Clericos, & Monachos nunquam plane obſoleverat, magna incrementa cepit per Guidonem Aretinum Monachum Pompoſianum, qui libros duos edidit de re hac, alterum ſoluta oratione, alterum ligata, & uno nomine *Micrologum* vocavit. Ad nos quod attinet, non minora modo litterarum ſtudia Patavii ſunt excitata, ſed gravia quoque, legum præſertim, totiuſque Civilis Juris, undecunque tandem peteretur. Anno enim MXC. *Joannes legum Doctor* teſtis adfuit tabulis ſcribendis, quibus Milo Epiſcopus Patavinus prædia quædam donavit Monialibus Sancti Petri, ut eſt in Urſati hiſtoria, & in ipſo Monialium tabulario. Satis autem conſtat, Doctoris nomen ante Lotharii II. imperium neminem tuliſſe, qui ſibi ſoli ſaperet.

Sæculum XII. publica Gymnaſia nobilitarunt per Italiam conſtituta: quique in iis ſtuderent, *Scholares* dicti ſunt; qui docerent, *Doctores*, *Magiſtri*, *Profeſſores*, *Anteceſſores*. Horum Princeps Bononienſe, claſſem ejus ducente Irnerio artium magiſtro, qui, dimiſſa Philoſophia, cum Jus Romanum ex libris Ravenna delatis interpretari inſtituiſſet, eam Bononiæ peperit celebritatem, ut hæc una civitas docere videretur, reliquæ doceri, cuſis etiam hoc titulo nummis, *Bononia docet*.

Anno MCXXXVII. detecto Amalphitano Codice, cum Pandectarum libri, in majore quadam luce poſiti, voce ſcriptiſque ab Irnerio explicarentur, novæ rei admiratio per omnem Italiam propagata, multos undique Juris ſtudioſos Bononiam accivit, novamque quaſi faciem Gymnaſio tribuit; ſi modo ante hoc tempus aliquod fuit Bononiæ Gymnaſium hoc nomine dignum. Propterea minime mirum eſt, ſi mox amplificato per Gratianum Monachum Sacrorum Canonum ſtudio, deinde aliis atque aliis accedentibus diſciplinis, demum extitit illa, quæ communi vocabulo dicitur *Univerſitas*. Quamquam hoc nomen cito bipartitum eſt in *Juriſtas*, & *Artiſtas*, quorum utrique ſuam ſibi conſtituerunt *Univerſitatem*; tum minoribus Claſſibus ſubinde impoſitum, ita ſermone vulgi diffuſum eſt, ut jam in uno eodemque Gymnaſio plures numerentur *Univerſitates*.

Sed jam inclinante ſæculo, juris Civilis & Canonici ſtudia late ſuſa per multas Italiæ Urbes

bes colebantur: quique Irnerio & Gratiano ſucceſſerant, nulla ſe conditione adſtrictos putabant, ut Bononiæ perpetuo manerent. Itaque ex illis, ſive Martinus Goſſius, ſive alius, Patavium migravit, & in hac Urbe ſcholam aperuit; unde exiit præter alios Gerardus Pomadellus Maroſticenſis, qui, *cum regeret in Legibus in domo Martini de Goſſo juxta majorem Eccleſiam Paduanam*, ut eſt in actis Arnaldini tabellionis, Eccleſiæ Patavinæ Epiſcopus datus eſt anno MCLXV. * Ejus quoque deceſſor Joannes Cacius *Sacrorum Canonum Doctor* in vetuſta ſepulchri inſcriptione ad parietes baſilicæ Cathedralis vocatur. Ex quo conjici poteſt, hunc ipſum ex ſede ſcholaſtica ad Epiſcopalem fuiſſe evectum. Siquidem *Doctoris* titulus nondum ita percrebuerat, ut illis etiam tribueretur, qui reipſa non docerent. Qui eos audiebant, *Scholares Majoris Eccleſiæ* vocabantur, ut eſt in actis Arnaldini modo allatis. Nam publicæ ſcholæ per id tempus ædibus Epiſcoporum, baſilicis, & cœnobiis adjici conſueverant: qui vero alibi doceret, privatam ſcholam habere dicebatur.

Hinc ſatis, puto, manifeſtum eſt, ante ſæculum XIII. Patavii Gymnaſium fuiſſe, ſi Gymnaſii nomen late ſumatur. Sed hoc demum ſæculo incrementa cepit non exigua, convenientibus undique in hanc urbem ſtudentibus & magiſtris ardore animi tam effuſo, ut & Vicetini an-

* *Ex Monaſtico S. Juſtinæ archio, & ex Henr. Calderio de Geſtis Patavin. l.* 3. *c.* 8.

anno MCCIX. publicas ſcholas jam prorſus vacuas Monachis Camaldulenſibus conceſſerint, & Bononienſis Magiſtratus ſacramento adegerit Profeſſores ſuos, ne vel ipſi abeundo ſcholas imminuerent, vel quovis modo minuentibus operam navarent. Jamque poſt ſæculi dimidium, ſublato rurſus Bononienſi Gymnaſio Alexandri IV. Pontificis interdicto, noſtrum ad juſtam magnitudinem crevit; datumque eſt huic ordini caput, qui Rector diceretur, addita poteſtate ſcholaſticas leges condendi, ut habemus in antiquo Civitatis Statuto ad annum MCCLIX. *Poteſtate Paduæ Guidone de Monte Regienſi*. Quinam fuerit hoc anno Gymnaſii Rector, ſiquis fuit, ignotum eſt. Anno ſequenti, cum Marcus Quirinus Venetus Præturam gereret, Rector creatus eſt Anſaldus Hiſpanus, cujus opera & auctoritate prima Statutorum, quæ ad Gymnaſium pertinent, adumbratio prodiit. Itaque hunc primum Gymnaſii Rectorem parentemque vocamus, quia nullum antiquiorem invenimus. Ipſi quoque Juris Civilis Profeſſores, qui hoc tempore docuerunt, Bartholomæus Lyus, & Thadæus frater primi dicuntur in veteri lapide, qui publicis ſcholis appoſitus fuit anno MCCLXIV. Fuere ſane Patavii vetuſtiores alii, ut initio dixi, & Legum, & Decretorum Doctores; ſed negari non poteſt, primos fuiſſe fratres Lyos, qui jura Civilia traderent, rite recteque conſtituto Gymnaſio, & publicam formam adepto. Lapis non amplius extat, dirutis anno MCCCCXCIV. antiquis ſcholis,

trans-

translatoque Gymnaſio ab regione S. Blaſii ad Hoſpitium Bovis; ſed eum vidit antiquitatis ſtudioſiſſimus Laurentius Pignorius, deſcripſit, poſteriſque mandavit epiſtola Ital. XIV. *Bartholomæus Lyus de Benevento Patavinus primus hic Jura docuit de mane, fratre Thadæo ſocio de ſero an. MCCLXIIII. Vivat.* Memoratur Bartholomæus Lyus in vetuſta quoque Judicum matricula, diciturque Legum Doctor, ad annum MCCLX.

Eodem fere tempore de Doctoribus creandis agitari cœpit, totoque negotio ita compoſito, ut Epiſcopus eorum, qui probari vellent, examini præeſſet, probatiſque auctoritatem impertiret, Urbanus IV. Pont. Max. anno MCCLXIII. acta confirmavit, & rata ubique terrarum eſſe juſſit, perpetuo Cancellarii Apoſtolici titulo Patavinis Epiſcopis conceſſo. Hinc orta Collegia, & Collegiorum auctoritas ad eos probandos, qui honores ſcholaſticos peterent: quæ quidem Collegia ſolis magiſtris initio conſtabant, ut ex ipſo Urbani diplomate ſatis intelligitur. Acceſſere deinde Clementis VI. & Eugenii IV. Bullæ, ut eas vocant, quorum alter anno MCCCXLV. alter vero MCCCCXXXIX. jura hæc Patavini Gymnaſii magis magiſque roborarunt, tribuentes illi quidquid honoris, dignitatis, & auctoritatis Academiæ reliquæ in toto Chriſtiano orbe conſtitutæ quovis titulo habere dicerentur. Neque vero miretur aliquis, tantum Epiſcopis fuiſſe tributum. Litterarum enim ſtudia, ſine quibus religio ſtare non poteſt, barbaris quoque temporibus apud homines Eccleſiæ ad-

addictos locum aliquem ac tutelam invenere. Et quia hujus ordinis caput Epiſcopus eſt, qui docere vellent, in ejus curia examen ſubibant, & probabantur. Hinc factum eſt, ut etiam excuſſa barbarie, cum litteræ ac diſciplinæ late dominari cœperunt, & ſuam quamdam rempublicam habere, vetera Epiſcoporum arbitria veritæ, eorum nomine atque auſpicio uti voluerint. Quidam putant, ne Imperialia quidem ſcholis noſtris præſidia deeſſe; quod ego do libens atque concedo: ſed profecto ab Acciolini expulſione per annos ſex & quinquaginta, quibus Gymnaſium hoc a pueritia, ut ita dicam, ad firmiorem ætatem excrevit, nihil ſibi ab Imperatoribus polliceri poterat, quod reſp. Patavina ſuis legibus viveret, & in fide eſſet Pontificum Romanorum, ut ſcribit Albertinus Muſſatus lib. III. de Geſtis Henrici VII. pag. 16. *Aymo Gebennenſis Epiſcopus a Senatu, ſingulisque Senatoribus, & Tribunis juramenta fidelitatis ſuſcepit; factaque eſt civitas Paduana Imperio fidelis Henrici VII. præfato regnante, anno a Jeſu Chriſti ortu MCCCXI. XII. Kal. Jul. Hac ipſa die poſt annos ſex & quinquaginta quæ ab Imperio ad Eccleſiam Romanam defecerat, ad Imperium rediit.* Illud tamen conſtat in univerſum, Fridericum I. anno MCLVIII. leges tuliſſe, ut conſuleretur rationibus eorum, qui publica Gymnaſia frequentarent, & Fridericum II. & Imperatores ſubinde alios in curam hanc incubuiſſe.

SYN-

SYNTAGMA II.

De Scholaribus, & eorum Rectore.

SCholares vulgari tritoque in Univerſitatibus vocabulo eos appello, qui Gymnaſio nomen dedere, ejuſque jure gaudent. Studentes, aut diſcipulos dicerem, ut veteres ſolent, qui Latine ſcribunt, ſi revera omnes ſtudendi ac diſcendi gratia convenirent: ſed multi agunt alia omnia, & in Gymnaſia veniunt ita prorſus, ut illi qui theatra frequentant tamquam otii diverſoria. Neque vero hoc imputandum ſæculo eſt. Nam illis ipſis temporibus, quibus litteræ ac diſciplinæ maxime colebantur, plures ſibi nomen hoc adſciſcebant, quibus quidvis potius propoſitum erat. Quid agerent, infra apparebit, ubi de Gymnaſii frequentia ſcribam. Attamen, ſi nihil quæreres niſi ſpeciem, omnes nomina profitebantur apud Gymnaſii Rectorem, & habitu Gymnaſtico, ut tunc moris erat, utebantur.

Principio ipſa quoque Patavina juventus inter Scholares cenſebatur, & ſcholaſtica comitia componebat. Excluſa eſt decreto Senatus VII. Kal. Jul. MCCCCLXXVII. quod nimia auctoritate polleret; multiſque adminiculis & ſuffragationibus innixa, quibus carent nationes aliæ, omnia ad ſe traheret. Adhuc tamen huic ordini tantum tribuit, ut ſi quando ad lauream petendam accedere velit, in Scholarium matricu-

lam

lam nomen ſuum referat, & a Gymnaſii Rectore, vel ab eo, qui Rectoris loco eſt, veniam accedendi petat.

Ad exteros quod attinet, toti Europæ patuit Academia hæc, juveneſque plurimi & nobiliſſimi ſuperioribus ſæculis undique confluxerunt, vel ex ipſo Principum & Præſulum ordine, quorum præcipua ratio in vetuſtis conſtitutionibus habetur. Hinc tot tantaque commoda in remp. redundabant, ut Civitatis Præſides, veluti parentum loco conſtituti, incredibili indulgentia Scholares complecterentur; eorumque negotia, pecuniam, libros, familiam, jura denique omnia diligentiſſime cuſtodirent. Multa illis onera remiſſa, immunitateſque datæ, impetrato etiam a Martino V. Pont. Max. diplomate, ut quicumque eſſent alicui Eccleſiæ addicti, modo Patavii inter Scholares degerent, abeſſe per ſeptennium poſſent, fructuſque omnes ejus Eccleſiæ jure perciperent.

In Gymnaſii primordiis una erat Juris legumque Univerſitas, quæ gentes duas, Ciſalpinam & Tranſalpinam, complectebatur, & pro utriuſque diſcrimine duobus Rectoribus parebat. Poſt acceſſere Artium ac Medicinæ ſtudioſi; novaque inſtituta ſui Ordinis Univerſitate, ſuum ſibi Rectorem elegerunt: unde lites & controverſiæ. Has ut componeret Epiſcopus Pileus de Prata, anno MCCCLX. acta confirmavit, ſed quatuor alligavit legibus & conditionibus; quarum prima erat, ut quilibet Artiſtarum Rector recens electus intra dies tres in Cathedrali baſilica Juriſta-

riſtarum Rectoribus ſacramento reciperet, ſe eorum ſtatuta fideliter ſervaturum; ſecunda, ut quicumque probari in Artibus vellet, & Doctoris inſignibus ornari, in eadem ſtatuta juraret, numuloſque duos Juriſtarum Univerſitati ſolveret; tertia, ut in forenſibus diſſidiis ad Juriſtarum Rectores appellaretur, niſi quis forte recta ire ad Epiſcopum vellet, qui pro illis moribus & rerum ſtatu Gymnaſii totius caput habebatur; quarta ut quoties deeſſet novæ huic Univerſitati Rector, alterius Univerſitatis Rectoribus pareret. Verum poſt annos paullo amplius triginta ſuper his ipſis conditionibus novæ exortæ controverſiæ ſunt; & quidem ejuſmodi, ut ad eas demum ſedandas ſolemni quodam Compromiſſo, Principis Carrarienſis auctoritate munito, opus fuerit, quod dabimus in Syntagmate ultimo. Id factum eſt anno MCCCIC. quo duæ iſtæ Univerſitates omnino inter ſe altera ab altera ſegregatæ ſunt, ſuis utrique diſpertitis legibus, officiis, & muneribus. Corpora hæc duo genus quoddam reipublicæ tamquam bicipitis conſtituere videbantur. Utraque ſuos ſibi Rectores præficiebat, quibus Scholares omnes, præter filios fratreſque Regum, fidem ſuam ſacramento obſtringerent: Rectoribus addebantur Conſiliarii, ſinguli ex nationibus ſingulis, in prima quidem Univerſitate tres & viginti, in altera ſeptem: tum Syndici accedebant, qui & Sapientes dicebantur, Vicarii, Maſſarii, Tabelliones, Bidelli, aliique plures partim ad operam Gymnaſio præſtandam, partim ad apparatum.

Ni-

Nihil autem erat, quod magis caperet generoſæ indolis adoleſcentem, quam Rectoris dignitas, quæ ſupremam quamdam Principis majeſtatem referebat. Nec vero quivis unus eligi poterat, ſed qui nobilitate, divitiis, conſilio, moribus in ſua Univerſitate præſtaret. Doctrina quoque præditus eſſe debebat, ſi fieri poſſet. Nam, præter honores ejus reliquos, jus etiam habebat publice docendi, eoque nomine aſſignatum illi ſtipendium erat, & locus in albo Profeſſorum primus. Quo loco obiter animadverto, mirum non eſſe, ſi Rectoris auctoritas nunc demum ad Profeſſores devenit, cum vel florentiſſimis Gymnaſii temporibus Rector inter Profeſſores cenſeretur.

Dici vix poteſt, quanta cum pompa honoris hujus inſignia caperentur. Id fiebat ſextili menſe, diebus D. Laurentio, & B. Virginis Aſſumptioni dicatis. Ac pridie quidem Rector haſtas non minus ducentas, & chirothecas Scholaribus mittebat, ad eorum uſum, qui equitare vellent, & haſtis ludere. Ex his autem duodecim equis inſidentes, Bidello generali præeunte, ad Profeſſorum domos ſe conferebant, & ut adeſſent, rogabant; cum interim Rector ipſe quadrigis vectus Epiſcopum, & Urbis Præſides invitaret. Res in Cathedrali templo agebatur, quod magnifice ornari ſolebat. Cum de hora conveniſſet, præcedebant tibicines quatuor, totidemque tympaniſtæ, pediſſequi, ephebi honorarii, & Scholares duodecim faſces auratos ferentes. Hos excipiebant, qui Univerſitatis ſigillum,

lum, qui ſtatuta, qui Caputium cuſtodiebant; & poſtremus omnium Bidellus ſceptrum argenteum humero geſtans. Proxime ſequebatur Rector ipſe toga rubra auro prætexta ornatus, comitantibus Syndico, Vicario, Conſiliariis, Scholaribus reliquis, & Profeſſoribus Gymnaſtica toga velatis. Cum ventum in templum eſſet, ubi aderant Epiſcopus, Urbis Præſides, Quæſtores, Decuriones, & Adſeſſores, ſedentibus omnibus, factoque per Prætorem ſilentio, oratio habebatur in qua cum Gymnaſii, & Magiſtratus laudibus novi quoque Rectoris merita conjungebantur. Abſoluta oratione, Profeſſor ex primariis unus Caputium Rectori imponebat, Sigillumque, & Univerſitatis ſtatuta, honorificis verbis adhibitis, tradebat. Tum Rector, actis de more gratiis, & chirothecis diſtributis, domum deducebatur per forum & vias Urbis majores apparatu magnifico ornatas. Epulæ ſuccedebant ex conſuetudine pæne publicæ, poſtea ludi, decurſioneſque, quibus præmia collato a Profeſſoribus ære parabantur, Rectoris judicio diſtribuenda. Pompæ huic auſpicatiſſimæ cetera reſpondebant. Numquam enim Rector in publicum prodibat incomitatus; nec ullis functionibus intererat, niſi omnes præcederet præter Epiſcopum & Urbis Præſides. Ejus auctoritas in Univerſitatem magna erat. Nam cauſſas omnes ad eam pertinentes, ex tribunali vel ipſe per ſe, vel per ſuum Vicarium cognoſcebat; ærario ſcholaſtico præerat; matriculis nomine ſuo auſpicia præbebat; Collegiis, & Conventibus omnibus, in quibus

B gra-

gradus Scholaſtici diſtribuerentur, præſidebat; in publicis diſputationibus primus interrogabat, non Scholares modo, ſed etiam, ſi libuiſſet, Profeſſores, quoties ipſi inter ſe exercitationibus cyclicis concurrerent; Rotulum condebat, excuſſis & libratis Profeſſorum meritis; proludendi facultatem dabat, & proludentibus aderat: ne quis officium deſereret, exactor diligens curabat; deſerentes autem pro ſuo jure monebat, & interdum etiam mulctabat.

Nec vero commodis honor carebat. Etenim præter jus armorum, Collegii emolumenta, & ſcholæ regendæ ſtipendium, exacto anno, lauream more nobilium obtinebat, eamque ſine ſumptu: &, quod plurimi fieri ſolebat, primis temporibus civis Patavinus, poſterioribus Eques D. Marci, ſi munus cum dignitate ſuſtinuiſſet, ritu ſolemni creabatur. Id quale quantumque eſſet pro moribus illorum temporum, ex diplomate cognoſci poteſt, cujus exemplum damus in Syntagm. XII.

Honorem hunc interdum ipſe quoque Syndicus, deficiente Rectore, conſequebatur, & quidem in medio ipſo ſui regiminis curſu, ſi forte eveniret, ut publica gratulatio Venetiis obeunda eſſet. Poſtrema incidit in annum MDCLXXVI, quam paullo accuratius deſcribere placet; ne rei, ut majoribus viſa eſt, pulcherrimæ, ſed novis moribus obliteratæ, memoria intercidat. Cum Venetiarum Dux electus fuiſſet Nicolaus Sagredus ex Triumvirum ordine, ſtatim concilio utriuſque Univerſitatis advocato, publica il-

li

li gratulatio decreta eſt. Igitur V. Kal. Mart. ſimul in Gymnaſium convenere Syndici, Conſiliarii, Scholareſque plurimi: inde autem, praeeuntibus Bidellis, ac ſervis publicis, ad Prætorem ſe Civitatis contulerunt Hieronymum Baſadonam, ut litteras fiduciarias peterent; quibus acceptis, eodem ordine in Gymnaſium regreſſi ſunt. Sub primam noctis vigiliam in quatuor cymbas Juriſtæ, in tres Artiſtæ cum aſcendiſſent, poſtridie mane Venetias appulere, & in Fuſcarorum ædes laute inſtructas recepti ſunt. Statim expoſita in januæ majoris faſtigio inſignia fuere D. Marci, Gymnaſii Patavini, Ducis Sagredi; & utriuſque Syndici, converſis in rem novam Civitatis oculis animiſque. Tum ſacrum rite factum in proxima S. Barnabæ æde. Poſt, menſa extructa convivis ſupra centum, epulæ ad tibicinem celebratæ ſunt. A prandio Syndici bene comitati circa IIIvirum domos, ac principum ceterorum ſe contulerunt; idemque fecere poſtridie, ſtudioſos Gymnaſii fautores partim voce, partim ſcripto invitantes ad gratulationis ſolemnia celebritate honeſtanda. Itaque III. Kal. Mart. ad Salvatoris Baſilicam undique ex compoſito itum eſt: ex illa autem, præmiſſis ordine poſt tibicines ſervis, Bidellis majoribus ac minoribus cum togis & ornamentis omnibus Gymnaſticis, ephebis quatuor, & Cancellariis, Syndici proceſſerunt, a duobus Ducis fratribus deducti, pone quos Conſiliarii Senatoribus conſociati, Scholares, civeſque benevoli plane multi, regia via utrimque apparatiſſima. Ad Curiam

riam cum perveniſſent, Collegium illis datum eſt, ubi Juriſtarum Syndicus elegantem orationem habuit de Ducis meritis, gratulatus novam dignitatem, & fauſta precatus Gymnaſii Patavini nomine. Dux gravibus verbis cum reſpondiſſet, in planum Syndici deſcenderunt; ibique dimiſſo comitatu, cum Conſiliariis, Bidellis, ceteriſque ſervis publicis primum ad S. Laurentii Moniales multis precibus invitati perrexerunt; tum vero domum regreſſi ingenti magnificentia epulum dedere. Poſtero die multa officioſe ultro citroque facta ſunt, grateſque Senatoribus actæ. Pridie Kal. Mart. Syndici rurſus cum toto comitatu introducti in Collegium fuere, Equiteſque ex formula a Duce creati; Conſiliariis autem omnibus, qui adeſſent, jus laureæ ſine ſumptu petendæ, & ſine argumentorum experimento, more nobilium conceſſum eſt. Principis beneficio incredibili animorum exultatione accepto, Artiſtarum Syndicus ornata oratione gratias egit: inde autem poſt multa lætitiæ ſigna ætati illi non indecora Patavium redierunt. Hic quoque diem feſtum celebrare placuit. Ac primum quidem ad S. Antonii templum cum veniſſent, ſacris peractis, Deo Opt. Max. laudes grateſque egerunt: deinde vero Civitatis Rectoribus in Gymnaſium invitatis, apparatuque omni ad januam receptis, & in ſcholam maximam deductis, rem totam oratione expoſuerunt: poſtremo reliquum diei noctemque totam epulis & choreis dederunt.

Propterea mirum non eſt, ſi ſuprema Gymna-

maaſii dignitas, etiam cum ſeneſcere inciperet, magna quadam ambitione quærebatur; turbæque interdum & contentiones inter petitores ortæ Principis auctoritatem ſubſidio poſtularunt.

Scholares non ſane multi ad hoc contendere faſtigium poterant: attamen alia quædam Univerſitatis munia erant, multæque ſpecioſi miniſterii procurationes, quas quivis eorum obire poſſet, non ſine aliquo & honoris titulo, & emolumento; ut proinde illi ipſi, qui a litteris erant alieni, tamen Patavii eſſe, & inter Scholares cenſeri pulchrum ſibi & commodum exiſtimarent. Sed fac, nihil hujuſmodi fuiſſe, cujus ſpe moverentur: attamen quid poterat adoleſcenti contingere magis optandum, quam ex domeſtica diſciplina & parentum imperio ad liberum quoddam ætatis degendæ arbitrium tranſire, procul a patria, procul a ſuis, ubi ſe venditare pro ætatis levitate poſſet; ubi multos inveniret æquales ſui, quibuſcum ſocietatem iniret; ubi honore & immunitatibus gauderet; ubi ipſe ſibi Rectorem eligeret, & ex ordine ſuo; ubi Magiſtros ipſos judicio ſuo deligeret, ſibique obſequentes haberet; ubi ipſe quoque Magiſter eſſe poſſet, & ex loco ſuperiore docere, quod ſæpiſſime eveniebat, ſi ſerio & ex animo diſciplinas colere vellet? Fatendum tamen eſt, tanta hæc Scholarium bona illorum multis exitio fuiſſe, quod uti neſcirent; ut tandem neceſſe fuerit alia detrahendo, alia minuendo, modum quærere, qui & ipſis ſalutaris eſ-

ſet, & civitati. Nunc pro ratione temporum, & Italiæ ſtatu pauciores ſunt, ſed plerique omnes modeſte vivunt, & id agunt, quod agunt.

Rectorem quoque ſui ordinis amiſere anno MDCCXXXVIII. Cum enim dignitas hæc, quæ non ſine maximis ſumptibus ſuſtinebatur, hac ipſa de cauſſa defeciſſet, ad Prorectorem venit; tum poſtea traducta ad Syndicum eſt; inde porro præceps in Proſyndicum decidit, hoc eſt in Scholarem Germanicæ nationis Conſiliarium, qui fortunis plerumque deſtitutus cum eſſet, omnia privatis rationibus metiebatur. Hinc novi conſilii neceſſitas. Poteſtas igitur omnis, aliarum Univerſitatum exemplo, ad Profeſſores translata eſt, primique omnium electi ſunt Triumviralibus litteris Ludovicus Pighius Inſtitutionum Civilium interpres, & Jo. Baptiſta Mazzinus Medicinæ Practicæ Doctor, qui Prorectores ac Syndici dicerentur. Cum res anno toto bene proceſſiſſet, confirmata in perpetuum eſt decreto Senatus; ſublatiſque nationum Conſiliariis, quorum jam nullus eſſet uſus, negotium Triumviris datum eſt, ut ſapientia ſua providerent, ne quid ex nova regendi forma res litteraria detrimenti caperet. Id plane ſalutare Gymnaſio fuit. Jam enim bona illa, quæ in Scholarium regimine olim quæſita fuerant, manentibus malis, interciderant. Laudanda in primis ſummi viri opera Nicolai Troni Equitis, Urbis Præfecti & Proprætoris, qui nec rumuſculis territus male ominantium, neque callidis quorundam conſiliis

filiis deceptus, qui ex juventutis erroribus quæſtum faciebant, rem totam ſuis oculis cognovit, prudentia explicuit, conſtantia perfecit & abſolvit.

SYNTAGMA III.

De Profeſſorum Electione.

EX quo litterarum & artium ſtudia coiere in corpus unum, quæ *Univerſitas* dicta eſt, ea prima cura fuit (quid enim potius ?) ut Profeſſores idonei, & in ſuo quiſque genere haud dubie præſtantes ſcholis præficerentur: nec ſolum habita ratio eſt, ut multa doctrina eſſent, ſed etiam ut recta, moribuſque doctrinæ ſimilibus; ne forte aliquis ea doceret, quæ neſcire melius eſſet; vel quæ doceret, exemplo corrumperet. Itaque ſtatim inſtituta examinum ratio, legeſque conditæ, quas qui Profeſſores eligerent, ſine ullius injuria aut offenſione ſequerentur. Sed alibi aliter. Si latius excurrere velimus, inveniemus in pleriſque Gymnaſiis ordinem ipſum Profeſſorum de Collegis adſciſcendis per certa quædam experimenta judicare, eorumque nomina Gymnaſiarchis proponere, ut jure eligendi ſuo abſque erroris periculo utantur. Patavini noſtri, publicis apertis ſcholis, aliam quamdam iniere viam, lege lata, ut ex aliis Gymnaſiis, præſertim vero ex Pariſienſi, & Bononienſi, quæ tunc maxime florebant, viri celeberrimi conditione qualibet invitarentur; rati videlicet, diſcipulos ipſos magiſtrorum conſilia fortunamque ſecuturos. Hac de cauſſa, peculiari duce ac Rectore ſcholaribus conceſſo, quem ſibi ipſi ex ordine ſuo in annos ſingulos eligerent,

id

id vel in primis ad eum pertinere voluerunt, ut cum magiſtratum iniiſſet, ſtatim adhibitis in conſilium Gymnaſii nationibus, de anni conſequentis Profeſſoribus per eorum ſuffragia deliberaret, aliis confirmatis, aliis dimiſſis, aliis aliunde evocatis, pro varia hominum fama, & Scholarum, quas regerent, frequentia. Quamvis autem arbitria hæc ſummo civitatis Præſidi, quicumque eſſet, ſubjicerentur, qui & mutare quædam, & addere interdum nomina alia, & pro cujuſque merito, atque ærarii viribus partiri ſtipendia ſolebat; attamen magna ſemper Gymnaſticæ deliberationis habita ratio eſt, ne juventus, coitione facta, quod non raro minabatur, ad alias abiret Academias. Illud enim certum & exploratum eſt, non tam rectam juventutis inſtitutionem primis illis temporibus quæri conſueviſſe, quam Urbis frequentiam, undecumque tandem eſſet, & quæ frequentiam comitabantur, Reipublicæ opes. Huc ſpectant decreta legeſque omnes, quæ ad Profeſſorum electionem pertinent; huc docendi arbitria ſtudentibus ipſis, ad ingenii exiſtimationem colligendam, permiſſa; huc multiplex illa ſcholarum copia, in quas diſcerptæ fuere Juriſprudentia, Medicina, Philoſophia, pro vario temporum ac nationum uſu, pro aliarum Univerſitatum conſuetudine, pro juventutis deſiderio, cui nihil eſt ſatis, ubi ſentiat ſibi indulgeri. Et ſane ita fieri neceſſe erat ante inventam typographiam, cum homines magis, quam libri quærebantur, & fama regebat omnia; nec ulla erat vel brevior,

vior, vel certior viris doctis ad fortunas via, quam ſi ſe, publice docendo, populi judicio committerent; nomenque præſtantiæ, ex alto diſputantes, ſibi compararent. Propterea nihil mirum, ſi tam multi vel exiguo ſtipendio, vel etiam nullo, operam ſuam Univerſitati præſtabant; ſi annum litterarium tantopere producebant; ſi ſcholas aperiebant ante lucem; ſi acroaſes trahebant ad horas duas; ſi e ſuggeſto cum deſcendiſſent, inter ſe aut in ſcholis ipſis, aut ad columnas, aut in aula Præfectitia, aut in apothecis magna æmulatione certabant; ſi decretis & pœnis coercendi erant, ne vel ipſo vacationum tempore in Gymnaſio perſtreperent. Principes viri, civitatum nobiliſſimarum Patritii, ſummi cœnobitarum Præſides, Epiſcopi ipſi hunc ſibi honorem depoſcebant; ut per multarum nationum homines, qui ſtudiorum cauſſa Patavii erant, ad litterarum doctrinæque famam pervenirent. Quamdiu autem civitas libera fuit, vel uni paruit, nihil eſt in hac parte mutatum; ac proinde non tam diſcipuli magiſtros colebant, & verebantur, quam magiſtri diſcipulos, ne quid ſibi minus honorificum ab eorum ſuffragiis eveniret. Nam, illi ipſi, qui a Principe dati Doctores eſſent, non ſecus atque alii, Univerſitatis judicio quotannis ſubjiciebantur. Mos hic, etiam imperantibus Venetis, diu tenuit; ſed ita tamen, ut Gymnaſticis conciliis, quæ de re hac haberentur, Urbis Rectores intereſſent, ad coercendos, ubi opus eſſet, juventutis impetus, eaque Profeſſorum nomina nu-

tu & auctoritate ſuſtinenda, quæ civitati & Reipublicæ bono eſſent. Et quia, ne ipſa quidem interdum publicæ Majeſtatis verecundia regendis multitudinis judiciis ſatis eſt, præſtantiſſimus quiſque maxime curabat, ut huic periculo per litteras Principis eximeretur. Inventi ſunt etiam qui non aliter accedere ad Gymnaſium vellent, quam immunitate hac in conditionibus poſita. Ad extremum, Profeſſores omnes Venetus Senatus exemit, qui docuiſſent per annos quinque, & florenis mererent ſexagenis. De reliquis autem poſt biennium duntaxat deliberari ab Univerſitate voluit. Initio enim Profeſſor quilibet eligebatur ad annum; ut ſi forte expectationi minus reſponderet, anno elapſo, pœnitentiæ locus eſſet. Eligebant autem Juriſprudentiæ ſtudioſi Juriſperitos, Medicinæ Medicos, Philoſophiæ Philoſophos, cuncti reliquos. Porro eligi non poterant, ex Univerſitatis & Principis decreto, niſi qui in Academia aliqua Scholaſticos titulos & docendi jus obtinuiſſent. Atque ex Juriſperitis quidem ſcholas extraordinarias ſæpe tenebat, qui in Jure alterutro probatus eſſet, modo illud ipſum, in quo eſſet probatus, profiteretur; ordinarias tenere nemo poterat, niſi eſſet probatus in utroque. Mirabitur fortaſſe aliquis, conditionem hanc, non noſtris modo, ſed gentium omnium legibus moribuſque firmatam, nunc denique reliquarum rerum converſionibus obnoxiam deficere cœpiſſe; ut aliqui jam ſine titulo Academico doceant, alii titulis translatitiis utantur ad ea profitenda, in quæ

vel

vel tempore compulſi ſunt, vel fortunæ caſibus inciderunt. Sed qui Gymnaſio præſunt viri ſapientes, veritatem in rebus omnibus, non ſpeciem ſecuti, magis quærunt, quam bene aliquid fiat, quam quo titulo fiat. Qui electi erant, ſi in electionem conſentiebant, datis intra dies tres apud Actuarium Univerſitatis vadibus, ſpondebant, *ſe perſonaliter lecturos per annum integrum, & horis ſolitis, juxta ſtatuta, cum ſcholaribus ſex ad minus, ſub pœna in ſtatuto contenta*. Nec tamen edebantur eorum nomina, niſi ea prius Princeps probaſſet, atque edi juſſiſſet. Edita cum eſſent, atque albo per claſſes adſcripta, qui Rotulus dicebatur, exempla quatuor valvis Gymnaſii, Prætorii, baſilicæ Cathedralis, & Antonianæ per ſervos publicos affigebantur. Scholares quoque eligi poterant, ſi & doctrina præditi eſſent, & moribus caſtigati, dummodo intra menſem Doctoris inſignia in Patavinis Collegiis tituloſque adipiſcerentur. Quod ſi quis eorum experiri dumtaxat ingenium cuperet, ſcholæ quædam erant ſcholaribus ipſis libero jure aſſignatæ, nec ſine ſalario, quamvis exiguo florenorum X. modo diſciplinæ, quam tradere aliis volebant, per annos quinque in Patavino Gymnaſio operam dediſſent; vel ſaltem per annos quatuor, ſi nihilo plus quam Tractatum unum ſe interpretari profiterentur. Illud quoque in conditionibus aliquando fuit, ut qui ex hoc ordine ſcholam regere vellet, atque inter Profeſſores cenſeri, oſtenderet ſe publicam diſputationem laudabiliter habuiſſe, ex Univerſitatis decreto an-

ni

ni MDXXXIX. XIV. Kal. Decembr. & MDXL. pridie Kal. Jul. Atque ex Artibus quidem Sophiſtica maxime, & tertius Avicennæ liber materiam animoſæ juventuti præbebat, quam publice explanaret. Juris autem ſcholæ ex hoc ordine quinque erant, prima Univerſitatis, quam qui teneret, quidquid ex univerſa Jurisprudentia ſibi placeret, explicare poterat, niſi aliter Rectori videretur; ſecunda Autenticorum; tertia trium librorum Codicis; quarta Feudorum; quinta Artis Notariæ. Sed in utraque claſſe alio tempore aliæ, modo plures, modo pauciores.

Patavinis quoque adoleſcentibus, qui inter ſcholares non cenſebantur, exercitationis nomine condonatæ ſcholæ ſunt anno MCDLXVII. V. Kal. Febr. qui Loci Tertii dicuntur, ex Juriſprudentia tum Civili tum Canonica, ex Philoſophia, ex **Logica**, **ex Medicina**. Et ne quid a Gymnaſtica turba ejuſque ſuffragiis ſibi timerent, eligendi jus Prætori conceſſum eſt, Præfecto, duobus Quæſtoribus, Univerſitatis Rectori, & ſeniori ex Decurionibus civitatis. Sed huic quidem anno MDCLIX. propter controverſias de ſuffragii ferendi ordine, proponendi facultas loco ſuffragii attributa eſt. Poſtea hæc ipſa facultas intercidit, quod ex decreto Senatus non. Septembr. MDCLXXIII. quilibet profiteri nomen poſſit, modo probet, ſe in urbe hac honeſto loco natum. Nemo autem rite electus cenſetur, niſi ex tribus ſuffragiorum partibus duas ſaltem ferat, ut eſt in decreto IV. non. Maj. MDCLXXXVIII.

MDCLXXXVIII. Certum ſingulis aſſignatum ſtipendium eſt florenorum XX. numquam augendum. Attamen anno MDCLV. VI. id. Decembr. Senatus facultatem Triumviris conceſſit, ut pro ſua ſapientia & temporum conditione ſtipendium Locis Patavinorum Tertiis augere poſſint ad florenos uſque quinquagenos. Atque æſtimationem quidem penes Magiſtratum eſſe voluit, ſed arbitrium ſibi reſervavit.

Quid quod etiam peregre venientibus, ſeque extra ordinem Gymnaſio offerentibus aliquando locus fuit? Anno enim MCCCLXXXVII. decretum eſt, ut quivis unus Lutetiæ, vel Bononiæ probatus, tituliſque ſcholaſticis ornatus, Patavii docere publice poſſet, modo ſine ſalario; quamdiu autem doceret, emolumentis aliis, atque honoribus ejus diſciplinæ, quam traderet, frueretur.

Ex iis, quæ hactenus dixi, ſatis opinor manifeſtum eſt, quam magna olim Profeſſorum turba, quaſique alluvies in Gymnaſium exundarit; quorum alii vix annum explebant, alii ad docendum prodibant per dies paucos, nonnulli etiam poſt electionem ſchola ſua, quæſitis cauſſis, abſtinebant; &, cum diu nomine tenus locum occupaſſent, denique abibant. Quod obiter moneo, ne quis minimarum rerum amatorculus magnopere ſibi placeat, ſi forte in vetera quædam incidet Profeſſorum nomina, quæ Hiſtorici noſtri præterierunt, noſque ipſi poſteritatis memoria parum digna judicamus. Corpus enim litterarium, non ſecus ac naturalia, partes habet oppido pulchras & nobiles, quæ ſub aſpectu poni

ni debent, atque omnibus oſtendi ad imitationem; non tamen iis caret, nec vero carere poteſt, quæ ſunt hominum oculis ſubducendæ.

Ardor iſte atque impetus ad docendum diu manſit, aluitque diſcentium ſtudia & contentiones; ſed cum tandem reſediſſet, breviore alia minuſque operoſa per typographos aperta ad famam via, ipſum quoque diſcendi deſiderium commodius expleri per libros cœpit, quam per homines; & in patria, quam extra patriam. Jam & pauciores ad Gymnaſium ſtudentes convenire, & magis de compendio ſuo, quam de Profeſſorum fama & præſtantia laborare: unde orta electionis avertendæ neceſſitas. Itaque primum ſcholas majores (ordinarias vocant) ſibi Senatus reſervavit, quibus ipſe Doctores pro ſua auctoritate daret; tum minoribus etiam, quæ extraordinariæ dicuntur, ſi intra annum vacarent, abſque Univerſitatis judicio conſuluit; poſtremo idibus Octobr. MDLX. omnem prorſus eligendi facultatem ſcholaribus ademit, quam tempus inutilem Gymnaſio fecerat, turbiſque excitandis ac diſſidiis dumtaxat idoneam. Jus hoc Univerſitatis longe pulcherrimum, quod ſibi ſcholares ſuperioribus annis neceſſarium putabant, & aliquando interpellatum incredibili animorum impetu ac prope ſeditione vindicaverant, anno MDLXI. idib. Septembr. velut onere aliquo ſublevati lubentibus ablatum declararunt, decreta etiam in eos pœna, qui de illo rurſus aſſerendo ad Univerſitatis concilium ferrent, aut alibi quippiam moverent. Tanta jam facta erat, mu-

tatis

tatis temporibus voluntatum & conſiliorum mutatio. Sunt qui putent, Athenienſium ſtudia intercidiſſe, cum eorum electio & probatio, qui in Athenæo docebant, ad publicam auctoritatem traducta eſt. Theophraſtus enim, qui diſcipulos bis mille habuiſſe fertur, cum id ſcitum audiſſet, ſtatim abiit; nec niſi abrogata lege, mulctatoque Sophocle, qui eam tulerat, redire voluit. Sed ibi quoque alia temporibus aliis e republica fuere.

Verum cum homines publicæ ſcholæ regendæ cupidi aſſueviſſent Univerſitati ſupplicare, jam quod ab ea non poterant, per eam obtinere conabantur; & quod valde mirum eſt, multi ſimul ad illam confugiebant auxilium petentes, pro ſua quiſque virili parte ſine obtrectatione alterius. Id vero eſt ejuſmodi, ut mihi videatur pro ea, quæ nunc eſt vivendi ratio, Actorum fide indigere.

Anno MDLXI. IV. id. Decembr. Coram magnifico D. Rectore Petro Maccioleno cum præſentia D. Acciolini Lercari Syndici, convocatis Dominis Conſiliariis expoſitum fuit, per mortem excellentiſſimi D. Antonii Cathari vacare Lecturam Criminalium, & ob id cupientes excellentiſſimi Doctores D. Ludovicus Leonus, D. Petrus Leonus, D. Olzignanus, D. Diomedes de Barbobus Soncinus, D. Joſeph Bellirottus lecturam ipſam conſequi, recurſum habuerunt ad Univerſitatem, eam rogantes, ut dignetur eos ad Clariſſimos D. Reformatores proponere & commendare. Quapropter honeſtæ petitioni annuentes, cum omnes digni & honorati Do-

cto-

ctores ſint, captum fuit, ut fiant litteræ commendatitiæ Clariſſimis Reformatoribus, pro dicta Lectura ad favorem iſtorum Doctorum, deferendæ per Joannem Antonium Roſatum Bidellum ſpecialem. Ex Cod. XLIV. p. 24.

Interdum etiam cum propoſita nomina quædam fuiſſent, paullo poſt proponebantur alia, ſubinde vero alia, atque alia; ſiquidem ageretur de ſchola ordinaria, quam ægre ſæculi mores, aperto Gymnaſio, vacuam eſſe patiebantur. Itaque anno MDLXIV. V. Kal. Julias, mortuo Julio Salerno, qui ſcholam primam Juris Civilis veſpertinam tenuerat, ſtatim Univerſitas propoſuit ſponte ſua Camillum Plautium Placentinum, Raynaldum Rocluſcum Peruſinum, Tobiam Nonium, Franciſcum Manticam, & Bonifacium Rogerium: tum pridie Kal. Aug. excitavit Magiſtratum, propoſito Romano Profeſſore Cyſio Campana, & Bononienſi Antonio Javarina: ad extremum nonis Octobr. commendavit rurſus Raynaldum Rocluſcum, & Marcum Antonium Eugenium; illudque adjecit, ſcholares multos jam Urbe excedere, veritos, ne proximo ſtudiorum curriculo deeſſet, qui loco Salerni doceret. Revera defuit, quia Rocluſcus ab Univerſitate Triumvirum permiſſu invitatus, iis conditionibus operam ſuam obtulit, quæ accipi non poterant. Nec mora, ſcripſit pro Joſepho Gualdo Vicetino, & Hieronymo Benvoglienti Senenſi, Profeſſoribus diu multumque per Italiæ Gymnaſia exercitatis; tum pro Nicolao Gratiano Utinenſi, pro Proſpero Paſotto, pro Joanne

Roncagallo; tandiuque ſtrepuit, donec primum quidem ſubſtituti duo Rogerius, & Mantica juſſi ſunt ſcholam aperire, deinde Joannes Cephalus ex Ticinenſi Gymnaſio in eam deductus eſt.

Hac ætate, ſublatis ſcholis, quæ minus neceſſariæ videbantur, reliquis Senatus ipſe, auctoribus rei Litterariæ Triumviris, Profeſſores tribuit, conſtituto ſtipendio in annos ſex. Elapſo ſexennio, eos confirmat, & ſtipendium plerumque auget, non ea tamen ſumma, quæ menſuram ejus primam excedat, quod vetatur Senatuſconſulto III. id. April. MDCXXII. Olim certa quædam merces, nec ſane magna, ſcholis minoribus conſtituta erat, quæ nulla conditione augeretur; ne quis per ſocordiam in illis deſideret, ſed ad majores ſtrenue contenderet. Nunc omnes pari jure gaudent; nec ratio ſcholarum habetur, ſed temporis, atque hominum. Patavinis autem nec ſcholæ primæ tribui poterant, nec augeri ſalarium ultra florenos CCC. Repagula fregere Medici duo meritorum magnitudine, primum Benedictus Silvaticus anno MDCXXXII. alterum Ludovicus Carenſius anno MDXXVI. Carenſio de re hac Medicorum Collegium gratulatum eſt; conceſſitque, ut in gentis ſuæ ſtemmate, ad memoriam poſteritati tradendam, florenos pingeret.

Ne illud quidem omittendum videtur, Theologiæ, & Sacrarum Litterarum Profeſſores primis temporibus ab Epiſcopo eligi conſueviſſe; atque adeo ne illis quidem, quæ proxime conſecuta ſunt, inconſulto Epiſcopo, admiſſos fuiſſe. Ex mul-

multis autem ſæculi ſextidecimi monumentis apparet, ad ipſam quoque Metaphyſicorum electionem Epiſcopos operam aliquam contuliſſe; quod ſchola hæc ad Theologiam referretur; ejuſque gratia eſſet inducta. Sed paullatim Epiſcopalia arbitria penitus obſolevere: niſi forte ubi religionis ratio aliter poſcere viſa eſt. Etenim ſæculo ſextodecimo cum exorti per Europam novatores eſſent, ne quid apud nos turbaretur, compellati Epiſcopi ſunt, ut a Profeſſoribus, & magiſtris omnibus etiam elementariis religionis morumque rationem poſcerent; vetitumque Decemvirum decreto non. April. MDLXVIII. ne quis in toto Veneto dominio ſine Epiſcopali ſyngrapha ſcholas haberet, carceris pœna atque exilii non parentibus edicta.

Ceterum, ex quo Venetus Senatus urbis hujus potitus eſt, ſcitu digna ſunt, quæ ad Gymnaſii famam per doctores celeberrimos ſuſtinendam decrevit, juſſit, impendit. Placet primum ejus afferre decretum, ex quo, quantæ fuerint reliquorum temporum curæ, & quo conſilio ſuſceptæ, conjici poterit.

A. MCDVI. XVII. Kal. April.
in Rogatis.

Quia ſecundum formam promiſſionum noſtrarum factarum communitati noſtræ, & civibus Paduæ Nos tenemur tenere Studium Paduanum in culmine, & ſecundum relationem nobilis viri ſer Zaccbariæ Triviſani militis, Capitanei noſtri dictæ ter-

ræ, una de rebus principalibus, quas facere poſſimus pro amplificatione dicti Studii, & terræ populatione, eſt quod dictum Studium ſit in culmine, & quod ibi ſint Doctores valentes, & bene famoſi, quia habentibus nobis tales Doctores, infiniti ſcholares ad illos concurrent; vadit pars, quod Collegium Dominorum Conſiliariorum, capitum, & ſapientum conſilii habeat libertatem providendi per illas vias utiles, & bonos modos, qui ſuæ ſapientiæ videbuntur; ut habeantur tot valentes & ſufficientes Doctores in qualibet facultate, quot videbuntur neceſſarii pro inviamento & amplificatione Studii antedicti: quia, ut eſt dictum, illa civitas valde multiplicabit, & introitus noſtri augebuntur. Itaque, quamdiu leges potentiores fuerunt, quam homines, ſiquis locus in ſcholis, quæ ordinariæ dicebantur, vacaret, Italia tota, & extra Italiam diligentiſſime quærebatur, quomodo impleri pro dignitate poſſet, evocatis undique, & conditione quavis Doctoribus præſtantiſſimis. Si nemo plane idoneus reperiretur, eligebatur aliquis ad tempus, &, ut eſt in Ducalibus litteris, *per modum proviſionis*. Si operam ſuam plures offerrent, concedebatur omnibus, ut per menſem, vel eo amplius virium ſuarum experimentum docendo facerent; ut is demum in loco maneret, qui communi Univerſitatis judicio probaretur. Illud autem vel in primis ſpectabatur ad fovendam æmulationem, ne quis ex ordinariis Profeſſor ſine antagoniſta doceret; eademque de cauſſa ne Patavinus cum Patavino ſociaretur, quod pluribus decretis veti-

titum eſt, atque in Statuta relatum. Ac minoribus quidem ſcholis conſulere facile erat. Non item primis, quæ viros ſummos pro Gymnaſii fama poſcebant. Si ex his aliqua eſſet occupanda, nec ille, qui ſecundam tenebat, tantum ſibi nominis comparaſſet, ut eo aſcendere poſſe videretur, extra Gymnaſium Profeſſor quærebatur fama celebris, qui primarius eſſet; conceſſa tamen interdum, honoris gratia, ſecundario *paritate loci*, ut ex formula loquar. Quod ſi merita eſſent ambigua, ſchola ſecunda geminabatur: idque erat ita frequens, ut locus nullus in Rotulis ſæpius vacet, quam primus. Itaque ſchola Sacrorum Canonum prima ex matutinis poſt annum MDXLVI. vacavit per annos viginti; cum interim Profeſſores duo Philippus Porcius, & Bernardinus Bonfilius, loco & honore pares, ſecundam tenerent. Pomeridiana poſt annum MDCLXXIII. vacavit per annos triginta. Quid ſi repente acceſſiſſet aliquis loco principe dignus, ſuamque operam Gymnaſio obtuliſſet? Procul dubio conducebatur, neutro ex ſecundis excluſo. Atque hinc factum eſt, ut tria aliquando in ſchola una Profeſſorum nomina inveniantur præter Patavinum. Illud frequentius eveniebat, ut ex ſecundis alterum diuturna exercitatio atque æmulatio perficeret, & ad locum primum ſine invidia adipiſcendum compararet.

Cæterum interdum, pro ſumma rei cura, ipſi quoque Rectori ejuſque Conſiliariis permittebatur, ut undique conquirerent, referrent, propo-

nerent, commendarent: quod præſtabant non litteris modo, ſed miſſis etiam aliquando per Italiam nunciis, qui ſummos quoſque viros Univerſitatis nomine invitarent, & ex aliis Gymnaſiis adducerent. Quandoquidem autem illud quoque interdum eveniebat, ut Profeſſor aliquis ex noſtris, collecta fama, alliceretur alio, aut a Principe ipſo gravioribus negotiis admoveretur, tum vero totus commovebatur ſcholarium cœtus, nec litteras modo & libellos ſupplices ad Magiſtratum mittebat, quod eſt in Actis Gymnaſticis frequentiſſimum; ſed ipſi quoque Rectores, ſi opus eſſet, Venetias ſe conferebant iterum ac ſæpius, magna comitante juvenum caterva, ut is omnino retineretur, quem ſibi ſtudiiſque ſuis utiliſſimum judicarent. Ecce tibi in rem hanc litterarum Ducalium particulam, quæ anno MCDVIII. pridie id. Febr. datæ ſunt.

Comparuerunt ad præſentiam noſtri Dominii Epiſcopus Tragurinus, & multi alii ſcholares pro parte Studii noſtri Paduani exponentes, quod in dicto Studio ſunt multi ſcholares tam Domini, quam Nobiles, & alii ſtudentes in Jure Canonico, qui propter abſentiam Domini Franciſci de Zabarellis non poſſunt vacare ſtudiis ſuis, quod eſſet cum totali ruina dicti Studii, & ſupplicantes, ut dignaremur providere, quod idem Dominus Franciſcus remaneat. Attamen Zabarella ad breve tempus abeſſe debebat, dum controverſiæ inter Venetos & Genuenſes apud Ducem Sabaudum componerentur. Senatus Univerſitati morem geſſit, relictoque Patavii Zabarella, Jacobum de Fabris Ve-

Veronenſem Alberto de Petra Rubea addidit, ut a conſilio Venetis Legatis eſſent.

Contentionem iſtam temporum mutationes & nova inventa non tam cito retardarunt. Siquidem anno ſæculi proximi quadrageſimo, itemque biennio poſt, cum Marianus Socinus, Juris Cæſarei Profeſſor, de ſchola deferenda cogitare videretur, Univerſitas Rectorem cum quatuor Conſiliariis Venetias miſit, ut cum Magiſtratu de Socino retinendo ageret. Idem factum eſt anno MDXLIV. XVIII. Kal. Febr. ut Julius Oradinus, qui ad Bononienſem Academiam migraturus erat, ſaltem uſque ad feſta Paſchalia, interpoſita Principis auctoritate, retineretur. Contra vero ſi quem minus probarent, nullo modo patiebantur ſcholam aliquam ex primariis occupare, nitentes ratione quavis, interdum etiam non ſatis modeſta, ut excluderetur: quod quidem non modo cum eligerent ipſi, licere ſibi voluerunt, ſed etiam cum eligendi jus amiſiſſent, aliquando uſurparunt. Hoc amplius, ne vacare quidem ſcholas illas, quas ſibi neceſſarias putabant, niſi forte diebus paucis, patiebantur; ſed miſſis Venetias nunciis, interdum etiam Rectore ipſo, Magiſtratum urgebant, nomina quædam commendantes, quæ ipſis probarentur, & ejicientes in anteceſſum candidatos, quos gratia magis, quam doctrina valere ſuſpicabantur.

Hinc orti Subſtituti, qui a veteribus dicebantur *Proſcholi*, *Subdoctores*, *Hypodidaſcali*, *Promagiſtri*. Ac primum quidem Profeſſor quilibet,

 ſi for-

ſi forte aut morbi, aut negotii cauſſa, ſcholam habere non poſſet, Doctorem alium venia a Rectore petita, ſubſtituebat, qui locum ad tempus impleret, & ſtudentibus ſatisfaceret. Si diutius abeſſe vellet, a tota Univerſitate facultatem ſubſtituendi petebat: cujus rei exempla in Actis frequentiſſima ſunt. Subſtituendi licentia, inclinante ſæculo quintodecimo, eo jam devenerat, ut omnes fere ſcholas Subſtituti tenerent. Qua de re queſtus eſt Senatus per litteras Ducales anno MCDLXXIX. IV. Kal. April. datas. Itaque primum vetuit, ne quis in poſterum Profeſſor Ordinarius alium ſibi ſubſtitueret, niſi ad dies tres; deinde vero ne omnino ſubſtitueret: niſi forte Medicus, qui Venetias vocaretur; iſque ipſe, cum opus eſſet, veniam peteret, nec impetraret ultra menſem. Attamen anno poſt, idibus Juniis, Paullo de Flumine, Ordinario Medicinæ practicæ Profeſſori, conceſſa facultas eſt ſubſtituendi alium, qui loco ſuo doceret, donec Veneti ſoli experimentum caperet, ubi ſedem figere ad medicinam faciendam conſtituerat. Ceterum ſubſtitutiones, quæ conſilio & auctoritate publica fierent, Gymnaſio plerumque ſalutares erant. Interdum autem Subſtitutus Profeſſori dabatur propter merita ejus, interdum propter demerita; & ſi propter merita daretur, utrique ſolvebatur ex ærario. Si forte Subſtitutus parum reſponderet, vel Ordinarium ſegniorem faceret, ſtipendio mulctabatur: quod accidit anno MCDXXVIII. XI. non. Jan. Doctori cuidam, quem Antonius Cermiſonus ſibi ſubſtituen-

rendum curaverat. Illud quoque interdum eveniebat, ut Subſtitutus Ordinario ſuccederet. Nam Magiſtro Gerardo Veronenſi Subſtitutus datus eſt Matthæus ejus Frater anno MCDXLVI. V. Kal. Jul. attributis Ducatis ſexagenis; idemque, poſt quinquennium VI. idus Majas in Fratris ſcholam & ſtipendium ſucceſſit. Verum longe maximus in ſubſtituendo fructus ſpectabatur, cum mortuo, vel abeunte Profeſſore aliquo, dum de ſucceſſore deliberaretur, hoc interim ſpatio, ne ſtudioſa juventus ſine Magiſtro eſſet, unus pluresve Doctores Subſtitutorum titulo ſcholam occupabant. Itaque anno MCDLXXIV. mortuo Balthaſare de Peruſio, qui loci primi Medicinam practicam profitebatur, juſſit Senatus XV. Kal. Decembr. *Doctorem aliquem ab Univerſitate ſubſtitui, qui haberet dictam lecturam, donec illi proviſum eſſet de uno Lectore famoſo & excellenti*. Poſt annum MDLX. Princeps ipſe Subſtitutos omnes dare voluit, nec tamen propterea Univerſitatis deſideria & commendationes repellebantur; probabantur etiam pro ejus ætatis erga litterarum ſtudia propenſione. Vix enim ſuſpicio aliqua oboriebatur ſcholæ vacaturæ, cum ſtatim convocata Univerſitate, conſultiſque nationum Conſiliariis, de Subſtituto agitabatur, ne cunctatio in quærendo ſucceſſore ſtudiis moram afferret. Hæc autem a moribus noſtris ita ſunt aliena, ut, niſi Actorum fide confirmentur, vix credi poſſint.

Ex Juriſt. Cod. XLIV. p. 14.

An-

Anno MDLXI. die Mercurii 29. Octobr. *coram Magnifico D. Petro Maccioleno Bergomenſi almæ Univerſitatis Juriſtarum Rectore digniſſimo convocatis D. Conſiliariis. Cum ex relatione D. Joannis Baptiſtæ Brugora ad aures Magnifici D. Rectoris, & Conſiliariorum pervenerit, quod Clariſſimi Gymnaſii moderatores requiſierint, ut ſtatim excellent. D. Marcus Mantua ſe Venetias conferat, qua de cauſſa optime ſperatur per Clariſſimos D. Reformatores ponendum eſſe eumdem Marcum ad lecturam Juris Canonici Matutini, prout Univerſitatis nomine ſupplicatum fuit elapſis diebus; & quia congruit ut lectura Juris Civilis, quam ipſe Dominus Marcus interpretabatur, omnino legatur, & jam legendi tempus prope adeſt, neceſſeque ſit, ut aliquis excellens nunc per modum proviſionis ſubſtituatur donec aliud per ipſos D. Reformatores proviſum fuerit; cupientes propterea Magnificus D. Rector, & Conſiliarii pro beneficio Scholarium, caſu quo prædictus D. Marcus ad lectionem Canonicam conducatur, habere etiam ad lecturam Civilem Matutinam loco Mantuæ alium idoneum Doctorem; tandem habito ſuper hoc mutuo conſilio inter ipſos D. Conſiliarios, captum fuit, ut Univerſitatis nomine ad Clariſſimos D. Reformatores proponatur Excellentiſſimus D. Hieronymus Olzignanus ad ipſam lecturam Civilem ſubſtituendus, uſque quo aliud proviſum fuerit &c. & ſtatim electus fuit D. Acciolinus Lercarius Syndicus, qui ſe Venetias conferret ad Clariſſimos Reformatores ob eam cauſſam.*

Ex eodem decreto & ex litteris ad Triumviros miſſis apparet, Olzignanum ſuperioribus annis

nis publice docuiſſe, ſed hoc tempore vacaſſe. Ceterum Univerſitas etiam Ordinarii, qui rite ſuccederet, ut ſupra dixi, curam ſuſcipiebat; ne forte aliquis minus idoneus ambitione obreperet. Hac de cauſſa decreto, quod modo attuli, adjicitur alterum ibidem p. 15.

Anno MDLXI. die Ven. 31. Octobr. coram Magnifico Rectore ultraſcripto cum præſentia D. Thomæ Lomellini Syndici ſubſtituti, convocatis Dominis Conſiliariis, expoſitum fuit, bonum eſſe proponere Clariſſimis Dominis Reformatoribus aliquem excellentem Doctorem idoneum ad locum Excellentis Mantuæ in caſu, quo non provideatur ad ipſum locum per ſubſtitutum, ſed ordinarie, & ſine præjudicio Excellentis Olzignani jam propoſiti per viam ſubſtitutionis. Quapropter, conſideratis ſcientia, facundia, & modo loquendi Excellentiſſimi D. Antonii de Catharo, nunc deputati ad lecturam Criminalem, qui jam annos viginti quatuor & ultra in hoc Gymnaſio publice profeſſus eſt ad locum primum juris Civilis Matutini in *ſchola Textus, Gloſſæ, & Bartholi, & jam uti veteranus in ea ſcientia longo tempore exercitatus eſt, captum fuit, ut ipſe ordinarie proponatur, & commendetur Clariſſimis Triumviris Studiorum. Mandatumque fuit, ut conficiantur litteræ in forma.*

Porro cum litterarum ſtudia pro rerum ac temporum viciſſitudine friguiſſent, omnino Subſtitutorum cura ceſſavit; nec ita multo poſt ipſa quoque obliterata memoria eſt, magno ſane Gymnaſii detrimento. Cum enim antea per hoc

hoc Doctorum genus ambitiones cupiditateſque hominum docere volentium explerentur, nulluſque Ordinarius conduceretur, quem non publica meritorum fama, multis experimentis comprobata, Univerſitati commendaret; poſtea ſerviendum temporibus fuit, & in re tam ſeria ſæpiſſime divinandum. Attamen detrimentum hoc non ita grave videbatur, cum ſcholæ in utraque Univerſitate plurimæ eſſent; proindeque vacare aliqua ſine querelis poſſet; atque adeo etiam, ſi caſus ferret, immerenti concedi. Nunc ingenti providentia & conſilio opus eſt, addo etiam felicitate, ut partam a majoribus gloriam, pro præſenti rerum ſtatu & temporum conditione, Patavina Academia retineat.

SYN-

SYNTAGMA IV.

De tempore docendi.

CUm de tempore docendi agitur, duo quæri poſſunt, primum eſt, quo anni tempore, & quibus potiſſimum diebus ſcholæ aperiantur; alterum, quantum temporis Profeſſor quilibet publice docendo ſingulis diebus impendat. Ad primum quod attinet, poſt conditam civitatis hujus Academiam uſque ad avorum noſtrorum ætatem die feſto D. Lucæ convocatis more ſolemni Profeſſoribus & ſcholaribus, docendi initium denunciabatur in craſtinum, & quidem utrique Univerſitati; finis autem non ſemper idem utrique. Nam Juriſconſultis quidem initio concedebatur, ut menſe Julio deſinerent; cum Medici & Philoſophi uſque ad B. Virginis Aſſumptæ feſtum pergere deberent: ſed poſtea illi quoque progredi ulterius juſſi ſunt, æquato labore. Theologi, quandoquidem tardius in Gymnaſium venerant, & ſua ſibi in rebus fere omnibus agebant, docendi curſum Octobris initio ineuntes, Apoſtolorum feſto Petri & Paulli abſolvebant.

Vertentibus annis, ſeu fato rerum humanarum, quæ nequeunt ſtare loco, ſeu gliſcente ſocordia, eaque ipſa in mores mutata, variare neceſſe fuit; & hominibus per ſtudia litterarum, non jam ire, ſed currere volentibus indulgere. Itaque nunc a Kalendis Novembribus initia ducun-

cuntur, nec pergitur ultra Majas; idque commune eſt ſcholis omnibus: dies autem reliquos, qui in Rotulo ſignantur uſque ad idus Junias, clauſo Gymnaſio, ſolus occupat Botanicus in Horto Simplicium.

Inter docendum quoque ſua vacationibus conceſſa tempora fuerunt, initio quidem breviſſima, deinde paullo longiora, poſtremo longiſſima. Extat Senatus Conſultum X. Kal. Sextil. MDIII. ex quo apparet, ea tempeſtate vacare ſcholas per dies admodum quinquaginta ob feſta Chriſti Natalia conſueviſſe, totidem autem ferme fuiſſe Bacchanaliorum vacationes. Utræque eo decreto, ipſis petentibus Gymnaſii Rectoribus, contractæ ſunt, primæ quidem ad dies decem, ſecundæ ad quindecim. Verumtamen noſtris temporibus rurſus ſerviendum Bacchanalibus fuit; clauſiſque ſcholis a D. Sebaſtiani feſto ad quadrageſimam, ſolus per eos dies docet Anatomicus, donec Rotulum expleat.

Sed Rotuli quoque condendi tempora ſæpe variata ſunt. Cura hæc Univerſitatis potiſſima cum eſſet, primis temporibus in Majum conferebatur, quo menſe Gymnaſium frequentiſſimum erat; poſtea traducta eſt ad Aſcenſionem, qua occaſione per dies octo vacabant auditoria: tum ad Sextilem devenit; collata in eundem menſem novi Rectoris creatione. Id vero in primis ſpectabant, ut ſcholares plurimi adeſſent, magnoque conſenſu probarent, quod Rector & Conſiliarii ſtatuiſſent. Itaque anno MCDXLVIII. Senatus Rotulum rejecit, quod non ſatis magnus

gnus ſcholarium numerus rei tam gravi interfuiſſet.

Illud non eſt omittendum, D. Lucæ feſtum, quod olim anno ſcholaſtico auſpicia præbere conſueverat, uſque ad noſtram ætatem a Medicis & Philoſophis ritu ſolemni cultum fuiſſe, idque in Caſſinenſi S. Juſtinæ Baſilica, ubi ſimul omnes convenientes Latinam orationem de laudibus D. Lucæ haberi curabant, & in ejus honorem ſacra fieri. Celebritas hæc & ſupplicatio nunc intermiſſa eſt levi mehercule de cauſſa. Cum enim Patena in ſacris adhibita Doctoribus oſculanda ex omni memoria præberi ſoleret, idque Eccleſiaſticis conſtitutionibus repugnare, anno demum MDCCXXV. Monachi advertiſſent, orta controverſia, nec umquam compoſita, tacitis precibus votiſque litatur.

Reſtat, ut de modo temporis dicamus, quod auditioni tribuitur. Priſcis temporibus ante lucem aperiebantur Gymnaſii ſcholæ; unde ortum Bidelli Specialis officium *candelas in mane accendendi*, ut eſt in antiquis utriuſque Univerſitatis Statutis. Has qui regerent, alii poſt alios ad meridiem uſque, Profeſſores Matutini vocabantur: proxime ſequebantur Meridiani, tum Pomeridiani, poſtremo Veſpertini, qui diem claudebant. Avorum noſtrorum memoria Antelucani, & Meridiani conticuerunt: noſtra autem Veſpertini, & illi quoque ex Matutinis, ac Pomeridianis, qui ad nolæ ſonitum docebant: ut jam privatis quoque exercitationibus commode tribui ſua tempora poſſint ſine publicarum ja-

ctura. Ex ſcholis porro ipſis aliæ ordinariæ dicuntur, ideſt primigeniæ; aliæ extraordinariæ, quæ deinceps pro rerum incremento additæ ordinariis ſunt. Extraordinariæ rurſus ita dividuntur, ut aliæ aſſidue una cum ordinariis, variatis tamen horis, habeantur; aliæ dies tantum feſtos & vacantes occupent. Initio cum vacare Gymnaſium diceretur, revera vacabat: poſtea dierum vacantium ſcholæ ſunt inſtitutæ, primum quidem ad eorum exercitationem, qui tirocinia ponerent; deinde Rectorum gratia, qui docere vellent, nec ſatis otii diebus profeſtis haberent; tum quod Profeſſor aliquis duplex ſibi onus ſumpſiſſet; denique etiam inopia temporis & loci ob ingentem docentium, ac diſcentium multitudinem. Numquam tamen id genus ſcholæ tam multæ fuerunt, quam hoc tempore. Principio ordinarii Profeſſores Matutini per horas duas, Pomeridiani per unam & dimidiam, reliqui ſaltem per horam integram ſuggeſtum tenebant. Poſt bellum ex fœdere Cameracenſi ortum, anno MDXVIII. Rector edixit ex placito Univerſitatis, uterque ſuæ, ne ordinarii horam unam excederent: ab Triumviris autem anno MDLIV. rurſus Matutini compulſi ſunt ad horas duas: ſed decennio poſt tum ordinarios omnes, tum extraordinarios Senatus redegit ad unam, præter illos, qui penſum ſibi duplicari voluerant, claſſeſque duas implebant. Iſti enim niſi vacantibus quoque diebus docere vellent, ſcholæ tempus ad horas duas, vel ſaltem ad unam & dimidiam producere cogebantur.

tur. Itaque Lazarus Bonamicus Humanitatis Latinæ Profeſſor, cum Græcam quoque tradendam recepiſſet, diebus legebat tum feſtis, tum profeſtis; Faſeolus autem, qui horis pomeridianis Græca tractabat, cum æmulationis ſtudio ſibi quoque geminari provinciam poſtulaſſet, Senatus non alia conditione annuit, quam ut ſe per horam unam & dimidiam quotidie docturum polliceretur. Nunc qualeſcunque ſcholæ ſint, ex æquo omnes qui eas regunt, tribus ad ſummum horæ quadrantibus docent, ex Triumvirali reſcripto anni MDCLXXXII. Pauci quidam excipiuntur, qui ſupra omnem evecti claſſem *Supraordinarii* vocantur. Hoc tempore nulli ſunt: fuere tamen tribus ſuperioribus ſæculis Antonius Roſellus, *Juris & ſapientiæ Monarcha* vocitatus, Marcus Mantua, Hieronymus Fabricius, Benedictus Silvaticus, & alii, qui cum ingentem ſibi atque Univerſitati famam voce ſcriptiſque peperiſſent, libera ſcholæ arbitria ſenes obtinuerunt; ut non ſolum, quando vellent, publice docerent, ſed etiam quamdiu. Quod ſiquis forte ſciſcitetur, quid ita decurtatæ ſcholæ fuerint; cauſſa in promptu eſt, in decretis ipſis iterum ac ſæpius inculcata, videlicet ut ſatis temporis ad circulos & concertationes ſupereſſet, quas nullo modo majores noſtri omitti volebant. Illud etiam in cauſſa fuit, quod diſputationum ſumma petentibus dictanda erat: unde poſtea orta ſunt breviaria illa, quas *Paginas* vocarunt. Siquidem Profeſſores, ut moleſtiam hanc dierum ſingulorum ſibi præciderent, in ipſo

curriculi trimeſtris initio earum doctrinarum, quas tradituri eſſent, epitomas edere cœperunt; iiſque in anteceſſum præbere, qui audire ſe velle profiterentur; ut earum auxilio ſua ſibi ſyntagmata domi conficerent. Poſtmodum ingruente Commentariorum illuvie, diſciplinarum ſtudioſi ſatis ſibi proviſum exiſtimarunt, *Paginæ* que ipſæ, amiſſo uſu, obſoleverunt. Nunc (fatendum eſt enim) cura omnis, vel pene omnis in eo vertitur, ut qui nomen inter ſcholares profeſſi ſunt, certis diebus per quadriennium diſtributis, publicæ ſcholæ ſubſellia honoris gratia occupent; idque per ſyngraphas ex Profeſſorum fide probare poſſint. Sunt enimvero qui beata natura præditi ultro contendant; nec deſunt viri optimi ex Profeſſorum ordine, qui contendentibus operam præſtent: ſed plerique ex formula ſtudent. Etenim ipſorum quoque examinum difficultates, quæ olim multæ erant, & valde graves in titulis Academicis petendis, temporum felicitas, qualiſcunque eſt, ita explanavit, ut non multa ſint ad acquirendam in vitæ uſu doctrinæ famam, quæ minore impendio conſtent. Atque hæc ad memoriam & laudem vetuſtatis, non ad cujuſquam reprehenſionem referri volo. Sunt enim ſua vitia rebus, locis, ac temporibus, quæ ab homine corrigi nequeunt. Severior quædam ſuperiorum ſæculorum in rebus omnibus diſciplina firmabat ingenia, & ad ſtudiorum labores reddebat aptiora. Non caret profecto litteris ſæculum hoc, abundat etiam, ſi nihil quærimus, niſi copiam; ſed

eo

eo tamen litterarum genere caret, quod in primis ſolidum eſt, & ad perfectæ vitæ ſtatum maxime accommodatum. Majores noſtri cum Univerſitates inſtituerent, nihil aliud ſpectarunt, niſi ut religionem, & generis humani ſocietatem incolumem ſervarent; operamque omnem, ſtudium, induſtriam ad eas artes contulerunt, quibus duo hæc continerentur. Nunc autem ea maxime probantur, & ſunt in honore, quæ extrinſecus inducta facie pellucent, magiſque oblectant, quam proſunt. Attamen, quod Plinius ajebat de eloquentia, unuſquiſque debet eſſe contentus litteris ſæculi ſui, eaſque colere, ut moris eſt.

SYNTAGMA V.

De modo & ratione docendi.

QUamdiu Legum ac Medicinæ ſtudia, ipſa per ſe nuda, in uſu atque amore fuerunt, Profeſſores non aliter docebant, quam legendo & commentando. Hinc vulgatæ per publica Gymnaſia voces *Lectoris*, *Lectionis*, *Lecturæ*; quarum prima magiſter ſignificabatur, altera opus, tertia officium. Liber enim prælegendus atque explicandus proponebatur tamquam diſciplinæ canon, in quo partes ejus omnes ordine expoſitæ continerentur: quem librum qui totum audiſſet, atque ita teneret, ut ejus doctrinam ipſe quoque publice exponere poſſet, atque in concione propugnare, is demum ſatis ex eo genere didiciſſe putabatur, tituliſque aliis poſt alios, & laurea ornatus, Doctoris nomen obtinebat. Itaque in Juriſtarum conſtitutionibus, & paſſim in Actis utriuſque Univerſitatis Profeſſores abſtinere jubentur a quæſtionibus, & diſſertationibus criticis; ne, mora per hæc interpoſita, libri expoſitio abſolvi nequeat. Liber porro a Collegiis, penes quæ primis Gymnaſii temporibus adminiſtratio erat, Doctoribus aſſignabatur. Et quia Doctoribus ipſis interdum gerendus mos erat, librum aliquem extra ordinem legere cupientibus, interdum vero etiam aliis, qui ingenii ſui ſpecimen dare vellent; id ita fiebat, petita a Collegio venia, ne dies occuparent amplius

plius decem, librumque ipſum ſcholis omnibus notum facerent. Ex Actis Collegii Medici IV. Kal. Maj. MCCCLXVII. *Decernit Collegium, nequis legere librum poſſit, niſi antea fuerit a Bidello per ſcholas publicatus, & in decem lectiones diviſus*. In univerſum ea prima cura erat, ut, libri explicandi materia in certa capita pro ſcholarum claſſibus & temporis modo diviſa, Profeſſor quilibet ſua tractaret ſine fuco & ſine fraude alterius; proxima, ut penſum fideliter expleret. Utra in parte qui fefelliſſet, pœnas dabat. Non deſunt in Actis exempla eorum, qui cum alliciendæ juventutis ſtudio ad aliena excurriſſent, vel declinandæ gratia difficultatis ſua decurtaſſent, graviter admoniti, interdum etiam pecunia mulctati, ad officium redire coacti ſunt.'

Juris Civilis Profeſſores prioribus ſæculis Codicem, Digeſtum vetus, Infortiatum, & Digeſtum novum interpretabantur, rem totam biennio complectentes: ex his autem alii mane, alii a prandio, quidam etiam bis in die, quod de Bartholo, & Franciſco Zabarella certo ſcimus. Qui Jus Pontificium profitebantur, Decretales, & Decretum eadem via & ratione prælegebant, eademque fide biennii ſpatio munus ſuum explebant.

Alias Juris legumque partes ſi quis cognoſcere voluiſſet, privata ſchola utebatur. Et quia grave id juventuti erat, quæ non ſine ſumptu magiſtros inveniebat, ſcholæ ſubinde aliæ apertæ ſunt, in quibus Jus utrumque, quantumcumque eſſet, in Gymnaſio exponeretur. Neque ve-

ro ex eo, quod ſibi Profeſſor quiſque penſi loco ſumpſiſſet, particulam ullam omittere licebat, non legem, non capitulum, non paragraphum. Quod ſi quis forte omiſiſſet, appellabatur, ut eſt in antiquis Statutis l. 2. p. 77. nec impune abibat, niſi intra menſem fidem ſolviſſet. Gloſſas quoque legere poſt capitulum oportebat: quas ſi quis præterire vellet, jurejurando profiteri tenebatur, ſibi ita videri ex fide bona, *continuandum eſſe capitulum*. Id autem ut præſtari plene poſſet, vetitum fuit tempus terere, ut eſt ibidem, *in Doctorum opinionibus referendis, aut articulis diſputandis*. Proinde anno MDLXI. idibus Septembr. contendit Univerſitas apud Magiſtratum precibus multis, ut reſtituerentur ſcholæ Textus, Gloſſæ, & Bartholi; modo tamen qui eas regerent, ſimpliciter afferrent Gloſſam, Textum, & Bartholum, *abſque diſputationibus articulorum*. Ex Actis Cod. 44. p. 8. Attamen exeunte ſæculo ſuperiore, totum docendi negotium ad quæſtiones flexit, quæ ingenti argumentorum copia in partem utramque onerabantur. Nunc vero, vulgatis Græcarum Latinarumque eruditionum theſauris, commentariis, lexicis, apparatibus, ad has quoque delicias ventum eſt. Diſſertationes iſtiuſmodi, pro hodierna ſtudiorum elegantia, pulcherrimæ ſunt, & publica Gymnaſii luce plerumque dignæ; ſed cum ea fere contineant, quæ pro natura ſua nec ſibi inter ſe certa ratione cohærent, nec alia ex aliis nectuntur, deſcribendi curam & commentandi juventuti abſtulerunt; omneſque diſ-

diſputationes, & quæ inde oriebantur, æmulationes extinxerunt. Quod autem unum incommodi remedium reliquum erat, privata ſchola, cœpit primariis Profeſſoribus indecora videri; jamque ad Tertianos detruſa eſt, & ad eorum claſſem, qui primas Juris Inſtitutiones tradunt. Suos quæque mores ſæcula habent; nec ſatis ſcio, an illorum conſilio & providentia, qui civitatibus præſunt, mutari poſſint.

Philoſophorum ac Medicorum libri ad interpretandum propoſiti æque certi prioribus ſæculis erant, ac Juriſconſultorum. Neque enim ab iis, qui principatum in his facultatibus tenent, Ariſtotele, Hippocrate, Avicenna, Rhaſi, Galeno diſcedere licebat. Sed in dividendis atque aſſignandis iſtorum Scriptorum tractatibus identidem certabatur. Atque anno quidem MDXXXV. tam gravis orta inter Philoſophiæ ſtudioſos controverſia eſt, num octo Phyſici Ariſtotelis libri legi deberent, an quatuor de Cœlo & Mundo, ut res prope ad ſeditionem venerit. Quamquam minoris ſubſellii Profeſſores, qui Extraordinarii dicebantur, amplius aliquid ſibi concedi volebant, & ex junioribus quoque Scriptoribus modo hunc, modo illum, ſiquem forte fama commendabat, petita ab Univerſitate venia, in ſcholas afferebant. Quapropter Sophiſticæ artis interpretes ſæculo quintodecimo, ut eſt in Artium Statutis l. 3. n. 20. Paulli Veneti Logicam explicabant, Strodii Quæſtiones, Pergulenſis Dubia, Entisberi Sophiſmata. Gramina iſtiuſmodi bonis frugibus interdum innaſcebantur; ſed cito

tabeſcebant. Hinc Senatus Conſultum III. Kál. Jan. MDLXXXVII. ad ſcholas quaſdam tollendas, quæ *per gratiam Dominii conceſſæ dicuntur ob merita quorundam Doctorum, ultra conſuetas & numerarias*. Si quis enim eſſet per ea tempora paullo gratioſior, qui in Gymnaſium obrepere vellet, nec tamen auderet vires ſuas in rebus ſolidis experiri, tale aliquid excogitabat, quod, nova aperta extra ordinem ſchola, diebus vacantibus lectitaret. Sed majores noſtri cum tempori, vel perſonæ indulſiſſent, quod interdum neceſſe erat, poſtea pro ſua ſapientia emendationi vacabant. Ex Philoſophis unus ſemper ſtetit Ariſtoteles, quamvis interdum jactatus. Attamen ante ſæculi quintidecimi finem nemo eſt inventus, qui ejus ſcripta cognoſceret niſi per interpretem. Anno demum MCDXCVII. Scholarium ordo, litteris ac nunciis Venetias miſſis, Doctorem poſtulavit Græcis litteris præditum, qui Peripateticam doctrinam ex ſuis fontibus hauriret.

Datus eſt illis Leonicus de Tomæis, qui primus huic Gymnaſio veram Ariſtotelis faciem oſtendit, & Græco ſermone, ut eſt in ſepulchri titulo, ejus doctrinam explicuit. Nunc, pro rerum ac temporum converſione mutatis ingeniis, nimis audax quaſique ſeditioſus haberetur, qui talia movendo Philoſophicis ſcholis moleſtiam afferret. Attamen hodie quoque Ariſtotelis nomen ex veteri formula album Gymnaſticum occupat: quamvis, qua lingua Ariſtoteles ſcripſerit, non magnopere quæratur. Sed hoc ipſum for-

fortaſſe bene habet. Illi enim Peripatetici toti erant nihilque amplius quærebant, quam quod Ariſtoteles ſcripſiſſet: noſtri majora & ſanctiora Philoſophiæ jura putant, quam Peripati; ideoque cum diſputant, ſalutato ex formula Peripateticorum principe, ſectas philoſophantium omnes excutiunt; atque etiam ipſi, ſiquid poſſunt, pro viribus & ingenio philoſophantur. Acceſſit etiam Experimentorum ſchola, comparatis pretio quolibet ad Phyſicas & Mathematicas exercitationes machinis; acceſſere theoretica Chimicæ artis ſtudia; acceſſit Botanicus Hortus ingenti nunc ſtirpium & herbarum copia delectuque ornatus; acceſſit foſſilium & aliorum ſimplicium Muſeum locupletiſſimum; ut jam nihil ſit, cur antiquorum felicitati invideamus.

Non eſt prætermittenda Aſtrologia, quæ prioribus Gymnaſii ſæculis ita hominum ſtudia incenderat, ut nulla ſive ars, ſive doctrina curioſius coleretur; quod vulgo perſuaſum eſſet, ex aſtrorum obſervatione futura prænoſci, non naturalia modo ac neceſſaria, ſed libera quoque, & in hominum poteſtate arbitrioque poſita. Nulla Principum domus Aſtrologo carebat; ac ne Medici quidem ipſi ullo in numero habebantur, niſi ſimul Aſtrologi eſſent; inter quos Petrus Aponenſis primas tulit. Schola igitur hæc valde floruit; & in libro Statutorum quarto de Aſtrologo dicitur, *quem tanquam neceſſariſſimum habere omnino volumus*. Quæ via & ratio docendi teneretur, nec proditum litteris eſt, nec una omnium fortaſſe fuit. Ioannes Mullerus Regiomon-

montanus, qui anno MCCCCLXIII. Patavii docere cœpit, Alphragani opera prælegebat; ex quibus ipſe quoque profecit Aponenſis, ut Gaſſendo viſum eſt, & ſua divinandi artificia ſumpſit. Sed tum demum Aſtronomica ſtudia fallacias exuerunt, & loco digna viſa ſunt, cum, ineunte ſæculo ſexto decimo, Mathematicis conjuncta ſcholam unam conſtituerunt: ex qua conjunctione extitere Profeſſores celeberrimi; is vero maxime, de quo nulla ſilebit ætas, Galilæus. Nunc ad Meteorologiæ penſum acceſſere.

Ipſis quoque Anatomicis exercitationibus olim aſſignatus fuit Auctor, qui ſtatim poſt cadaveris ſectionem a Medico prælegeretur, Mundinus de Luciis; cujus Anatomia velut artis canon habebatur, atque in omnium manibus erat. Sed nos ſæculo meliore vivimus; tantoſque juniorum obſervationibus hac in parte progreſſus fecimus, ut Mundinus jam ſileat.

Quid de Theologis dicam? Claſſis hæc tardius inducta eſt, totque caſibus jactata, antequam pedem in Gymnaſio figeret, ut Leonardus Ubriacus Artium Rector anno MCDXCV. in Statutorum præfatione glorietur, ſe illam *prorſus intermiſſam, & funditus eradicatam reſtituiſſe*. Initio ſchola una fuit, in qua Sententiarum libri a Petro Lombardo editi prælegebantur. Sed cum in ſectas abiiſſet, geminari debuit: & altera quidem Dominicanis Cœnobitis aſſignata eſt, qui ex D. Thomæ doctrina Lombardum interpretarentur, altera Minoritis, qui ad ejus explicationem Scoti placita afferrent.

Theo-

Theologiæ fatum ſecuta Metaphyſica eſt, ejuſque gratia publicis ſcholis adjecta anno MCDXLII. propoſitis ad explicandum decem Ariſtotelis libris. Quamdiu autem Theologica ſchola una fuit, ipſa quoque Metaphyſica uno modo Ariſtotelem loquentem induxit: ſed cum illa cœpit eſſe bilinguis, ipſe quoque Ariſtoteles in ſchola Metaphyſicæ prima Thomiſticus fuit, in ſecunda Scotiſticus. Nunc, effractis carceribus iſtis, emerſit decreto Senatus; nec tamen iccirco plane libera eſt, ſuique juris, ſed Logicæ vel pediſſequa, vel ſocia.

Nulla omnium ſolutior fuit ac liberior, quam Humanitatis ſchola, quæ primis temporibus Grammatica dicebatur. Multi ejus, naſcente Gymnaſio, Profeſſores erant, ut colligitur ex Roſandini Chronico cap. ult. Initio autem ſæculi quintidecimi unus cum doceret Gaſparinus Barzizius, quaſi nimium ſibi eſſet otii, Moralem Philoſophiam cum hoc litterarum genere conjunxit. Sed cito ſoluta ſocietate hac, adſcitiſque Græcis litteris, duplicata ſchola eſt. Anno ſæculi ſequentis trigeſimo rurſus rediit ad Profeſſorem unum Lazarum Bonamicum, qui, utroque ſuſcepto onere, alterum diebus feſtis, alterum profeſtis ſine ulla vacatione ſuſtinuit. Mortuo Bonamico, duæ rurſus Humanitatis inſtitutæ ſcholæ ſunt, iterumque ac ſæpius modo intermiſſæ, modo reſtitutæ, donec ſæculo decimo ſeptimo Octavius Ferrarius, par utrique judicatus, Græcam Latinamque Humanitatem tradere aggreſſus eſt ſchola una diebus ordinariis,

addicta, totoque ejus penſo in annos quatuor diſtributo. Ex eo tempore nihil eſt immutatum: niſi quod præſtanti hujus ætatis Profeſſori Jo. Antonio Vulpio conceſſum eſt Triumviralibus litteris anno MDCCXL. ut ex diebus ipſis ordinariis dumtaxat alternis doceat.

Pervulgata controverſia eſt, num priorum temporum magiſtri in publicis ſcholis dictando docerent. Negari non poteſt, aliquando illos dictare conſueviſſe, non tamen aliter, quam ſi prius per horam integram memoriter diſſeruiſſent. Id præſertim fieri conſuevit ante inventam typographicam artem, cum juventus de ſcripto diſceret, nec in ulla probaretur diſciplina, quin prius partes ejus omnes enucleate cognoviſſet. Hinc perpetuæ ſcholæ, & mirifica illa Profeſſorum aſſiduitas, ut ſiquis interdum ipſe per ſe non poſſet, alium ſubſtitueret, qui ſuas vices gereret, tempuſque dictando lucrifaceret. Ac Joannes quidem Andreæ, *Archidoctor* nuncupatus, ne ſcholæ & auditoribus deeſſet, ipſam quoque Eliſabetham filiam interdum ſubſtituebat: ex quo factum eſt, ut ejus diſcipulus Joannes a Sancto Georgio Bononienſis illam ſibi uxorem deſponderit; ejuſque opera, cum ipſe quoque publice doceret, uſus ſit. Poſtea dictandi tempus concertationibus aſſignatum eſt: quandoquidem, exhibita in anteceſſum rerum dicendarum ſumma, facile erat auditoribus diſſerentem manu ſequi, & quæ ab eo proferrentur, ſcriptis conſignare. Itaque Scardeonius lib. II. claſſe VIII. p. 186. ſcribit, in Franciſci

Fac-

Faccii ſchola tot fuiſſe adoleſcentes, qui quæ ab illo dicebantur, exſcriberent, ut non ſane recitare, ſed dictare videretur. Huic induſtriæ accedebat privata ſchola, in qua, ſiquid eſſet ex publica non recte exceptum, emendari poterat; &, ſiquid omiſſum, nova diligentia ſuppleri.

Extremo ſæculo XVI. paullatim res tota ad dictandum verterat; jamque, non ſcholares, ſed ſcholarium famuli, qui deſcriberent, in ſcholis ſedebant. Morem peſſimi exempli cito Senatus ſuſtulit decretis graviſſimis, animadverſiones etiam comminatus adverſus illos, qui dictandi commodo deliniti ad priſtinum memoriæ atque ingenii experimentum iniquo animo regrediebantur. Quidam ictum utrumque declinantes recitare de ſcripto cœperant. Sed hoc ipſum fallaciis gravioribus obnoxium, & a Profeſſoris gravitate alienum Senatus excluſit III. id. Nov. MDXCII. Eadem Camarina & ſæculo ſuperiore, & hoc ipſo ſæpe mota eſt, urgentibus multis ex ipſo Profeſſorum ordine, ſed cito compreſſa. Scilicet hæc una reliqua eſt probandi & agnoſcendi Profeſſores via, ſublatis jam experimentis aliis, ut ſine ſcripto prodeant. Quod ſi tota demum induſtria in chartula legenda verteretur, quivis de populo, modo litterarum elementa teneret, obrepere in Gymnaſium poſſet, & per alienas lucubrationes ingenium operamque venditare.

SYN-

SYNTAGMA VI.

De Circulis & Concertationibus.

NUmquam magis floruit Academia hæc, quam cum æmulandi ſtudium viguit; nihilque ad alendam & acuendam æmulationem validius excogitari poteſt Concertationibus, quæ pridem in uſu erant, & vulgo Circuli vocabantur. Hujuſmodi exercitationes majoribus noſtris ita curæ fuere, ut nihil ſit rerum omnium, quæ ad ſtudia pertinent, quod pluribus decretis, litteris, pœnis mandatum ſancitumque fuerit. Qui paullo tardius ad Gymnaſium acceſſerunt Philoſophi, & Medici, iſtiuſmodi certamina induxere, laudemque hanc primi occuparunt. Etenim in eorum Statutis poſt medium ſæculum quintumdecimum refectis decernitur l. 2. c. 23. *ut ex antiqua conſuetudine omnibus diebus, quibus ordinarie legitur, hora vigeſima tertia, poſt principium ſtudii uſque ad vacationes Paſchæ Reſurrectionis, Scholares omnes & Doctores tam Medicinæ, quam Philoſophiæ, Ordinarii, & Extraordinarii, ad Circulos in apothecis conſuetis convenire debeant, ibique ſtare ad minus per horam teneantur ſub pœna perjurii, & ſolidorum viginti pro qualibet vice.* Pœna hæc poſt annos fere centum aucta eſt ad libras quinquaginta, ut eſt in Actis hujus Univerſitatis ad annum MDLXXIV. XIII. Kal. Oct.

Cum conveniſſent, ipſi primum inter ſe ejuſdem

dem claſſis Profeſſores in certamen ibant, deinde auditorum difficultates ſolvebant. Medicis Rector ipſe teſtis & exactor intererat; ſcholares autem duo ab ipſo deſtinati, alter Philoſophis, Logicis alter, operam ſuam navabant, nequis muneri ſuo deeſſet, tempuſque falleret. Præter quotidianas has commiſſiones Profeſſor quilibet ſemel in hebdomada theſim proponere debebat, de qua primum Rectori, vel illi qui Rectoris loco eſſet, deinde Profeſſoribus aliis reſponderet, idque *ſub pœna librarum decem a Camerario de ſuo ſalario exigendarum*, ut eſt ibidem. Et quia interdum de loco & ordine interrogandi ac reſpondendi lis oriebatur, placuit Rotuli rationem duci, & ita quemque prodire, ut in eo ſitus eſt: qua de re Univerſitatis decretum editum eſt, ſcholiſque affixum, quod refert Tomaſinus in lib. IV. de Gymn. p. 420.

Juriſtarum Univerſitas exemplo excitata, idem a Profeſſoribus ſuis fieri curavit, factumque eſt de re hac Senatus Conſultum pridie non. Mart. MCDLXXIV. *Decernimus, volumus, jubemus, ut juxta ſupplicationem Doctores obligentur, expediti a lectionibus ſe reducere, & convenire in loco ſtatuto & conſueto ad conferendum & diſputandum, incipiendo a principio Studii uſque ad feſtum Paſchatis Reſurrectionis ſub pœna ſolidorum viginti*. Locus autem erat ad Gymnaſii columnas, aut in apothecis proximis, aut in ſcholis ipſis, quoties vacarent, aut in aula Præfectitia. De tempore variatum ſæpe eſt; idque certis de cauſſis, ne ſibi invicem diſputatores im-

impedimento eſſent. Anno MDXXXIV. decrevit Juriſtarum Univerſitas, ut eſt in Actis Cod. XVII. p. 58. *ut omnes Doctores concurrerent hoc modo, videlicet Canoniſtæ, & Inſtitutarii de mane, alii vero de ſero, duo quolibet die*. Concurrere autem dicebantur, cum inter ſe diſputando certabant, ducto nomine a re bellica. Hinc paſſim *Concurrentes* dicti primus & ſecundus cujuſque claſſis Profeſſores, quod iſti potiſſimum inter ſe certarent. Atque illis quidem temporibus ſumma Doctoris laus erat, ſi concertator animoſus & acer per Italiæ Gymnaſia ferretur. Itaque cum oblata fuiſſet Chriſtophoro Albericcio Papienſi ſchola ſecunda Juris Civilis matutina, illud inter conditiones eſſe voluit, quemadmodum conſtat ex decreto MCDXCIII. XV. Kal. Nov. *ut ejus Concurrens Joannes Campegius ſingulis diebus poſt lectionem immediate per horam unam circularetur & diſputaret*. Inventi ſunt etiam, qui loci dignitatem contemnerent, modo ad claſſem transferrentur, in qua magni nominis & famæ collegam habituri eſſent, quicum congrederentur. Quapropter anno MDXCII. Jacobus Menochius ex ſchola Juris Canonici prima ad Juris Civilis ſecundam lubens migravit, ut cum Tiberio Deciano, qui primus hujus claſſis erat, confligere poſſet.

Quemadmodum autem Artium, ita etiam Juris Profeſſores, præter diſputationes illas, quas cum ſuo quiſque Antagoniſta de rebus habebant, quæ in ſcholas quotidianas inciderent, de tota interdum diſciplina publice reſpondebant, vel ſtre-

ſtrenuum aliquem ex ſuis diſcipulis producebant, qui, ipſis ſuffragantibus, reſponderet. Veruntamen ſolemniores iſtæ diſputationes haberi non poterant, niſi diebus vacantibus; & quoties haberentur, ad horas tres produci debebant. Commemoratione digna eſt Caroli Ruini diſputatio, quæ incidit in annum MDI. quo primum anno Patavii docuit, & quidem extra ordinem. Theſibus enim de more proſcriptis, difficultates omnes ſibi propoſitas tanto ingenii acumine, tantaque doctrinæ copia explicuit ac diſſolvit, adverſante callidiſſimo ejus ætatis diſputatore Jaſone Maino, ut abſoluto certamine, domum a tota Univerſitate, præeunte Rectore cum ſervis publicis, & inſignibus Gymnaſticis, honoris gratia deductus ſit.

Exercitationes hujuſmodi multo frequentius ſtudentes habebant; nulluſque fere ad Gradus Scholaſticos petendos accedebat, niſi prius vel facultatem totam, vel partem ejus aliquam publice propugnaſſet. Ideoque multa ſunt in Actis decreta, nonnulla etiam in Statutis, de tempore, loco, atque ordine diſputandi, de fallaciis tum interrogantium, tum reſpondentium, de colluſionibus, de prævaricatione, de ſtrepitu & pulſationibus. Cura autem potiſſima eo pertinebat, ut nemo in arenam veniret, ſive ad oppugnandum, ſive ad defendendum, quin jurejurando affirmaſſet, nihil ex compacto fieri ad fidem publicam fallendam. Neque vero Gymnaſii Rectores onus refugiebant. Inventi ſunt etiam, qui cupidiſſime illud ſubirent, ſibique ſupra mo-

dum augerent. Anno enim MDLVIII. Auguſtinus Mutius Bergomas, Artium Doctor, cum Juriſtarum præeſſet Univerſitati, theſes nongentas proſcripſit, quibus univerſam Juriſprudentiam, nec exiguam aliarum diſciplinarum partem complexus eſt; eaſque in Cathedrali æde publice propugnavit per dies admodum ſex. Librum edidit ſub auſpiciis Laurentii Prioli Venetiarum Ducis, a quo titulo Equeſtri ſtatim ornatus eſt, ac torque donatus. Ex Venetis Patriciis qui ſe in hoc ingenii diſcrimen rite dederit, poſtremum invenio Albertum Baduarium anno ſæculi ſuperioris viceſimo. Cum enim aggregari Philoſophis vellet, nomenque Doctoris & inſignia peteret, poſtridie id. Jun. in Baſilica Antoniana publicam diſputationem habuit coram Patavino Epiſcopo Marco Cornelio, Andrea Bragadeno Prætore, Sylveſtro Valerio Præfecto. Theſes ab illo publice expoſitas oppugnarunt Antonius Barbadicus, Julius Sala, & Tiberius Zuccatus. Certamini regendo adſuit Georgius Raguſæus Philoſophiæ ordinariæ Profeſſor. Ornarunt celebritatem jure acciti, Collegii Præſes, Univerſitatis Syndicus cum duobus Conſiliariis & ſervis Gymnaſii publicis, omneſque artium Profeſſores; præterea officio & benevolentia multi, ut mos erat. Gravis fuit concertatio; nec Albertus modo, qui concionis judicium reſpondendo ſubierat, ſed ipſi quoque adverſarii magnum laudis fructum interrogandi ſagacitate retulerunt.

Vix intelligitur, quo fato, quave ratione tantus hic æmulationis impetus non dicam re-

tar-

tardari, aut infirmari potuerit, quod commune eſt rebus omnibus faſtigium adeptis, ſed penitus tolli, & ex hominum memoria pæne deleri. Ac primum quidem ſenior ex Profeſſoribus aliquis ætatis vacationem poſtulavit; deinde etiam qui eſſet ætate firma, per magna patrocinia idem obtinuit; poſtea exemplo multi; denique faſtidio omnes. Quæſita etiam ſive inertiæ, ſive quieti cauſſa, & color quidam vulgo probabilis, quod iſtiuſmodi contentiones, a Sophiſtis inventæ, non acuant ingenia, ſed extenuent; victoriæque inde ortæ animos hominum potius inflent, quam attollant. Vetus hæc accuſatio eſt, quæ Leonardum Aretinum movit, ut libellum ſcriberet de diſputandi uſu & neceſſitate. Studentium diſputationes aliquanto tardius, quam Profeſſorum, ſunt intermiſſæ; ſed tandem harum quoque ſatietas ſecuta eſt. Nunc illi dumtaxat veteris conſuetudinis nomen uſurpant, & imaginem quamdam publicæ diſputationis adumbrant, qui præter Academicos titulos & Lauream, jura Collegii ſedemque in eo poſcunt; ut ipſi quoque aliquando de aliorum meritis & doctrina judicent. Nihil autem fieri poteſt ad pompam & celebritatem illuſtrius. Itur in Gymnaſium, magna comitante ſcholarium caterva, conſanguineorum, amicorum, civium generis omnis. Sequuntur Profeſſores partim officio, partim benevolentia. Accedunt Urbis Præſides, Prætor, & Præfectus cum omnibus tantæ dignitatis inſignibus, quibus ad januam obviam fit Univerſitatis Rector, vel Prorector toga indutus, præeunte

generali Bidello cum ſceptro argenteo, ceteriſque apparitoribus. Tum diſtributis per ſubſellia ordinibus, indictoque ſilentio, aſcendit diſputator in ſuggeſtum, præmiſſaque oratiuncula, ingentem trium quæſtionum papyrum explicat; totidemque difficultates a ſuis condiſcipulis attente excipit, fideliter repetit, & ex compoſito ſolvit. Ad extremum gratias agit, domumque deducitur magnis gratulationibus. In tanto rerum atque hominum molimine revera nullum fit, niſi exiguum quoddam memoriæ experimentum: verum enimvero ſerviendum temporibus eſt, quibus tota vitæ ratio ad nova exempla componitur. Siquis majorum leges atque inſtituta revocare vellet, qui omnia ferme ad veritatem & rationem referebant, is neque ſe, neque alios, neque rerum humanarum viciſſitudines noſſe videretur. Illi ibant, quo eundum; nobis eundum eſt, quo itur. Verumtamen nemo ex noſtris ita levis eſt, ut ſe hoc experimento ſatis probatum & idoneum putet. Patavina ingenia, quibus Collegia conſtant, inſita quadam gravitate prædita, quæ contemptum pati non poteſt, aliunde ſtudiis ſuis ſuæque gloriæ conſulunt; nec ſibi locum eſſe volunt, ubi nequeant ſine verecundia ſedere.

Jam ipſæ quoque privatæ ſcholæ nova ſæculi indulgentia uti cœperunt; ſuaſque diſputationes, quæ ad ingenii experimentum haberi conſueverant, nunc, ſublata concertatione, ad frigidam quamdam memoriæ jactationem traduxerunt. Sed medebitur dies. Scilicet bonis ipſis, ſi diuturna ſint, pro naturæ inconſtantia fatigamur; tantoque

va-

variandi ſtudio tenemur, ut nos ea quoque interdum, quæ prava ſunt, novitate capiant ac delectent. Hæc tamen qualia ſint, ejuſdem providentia naturæ cito manifeſtat; idemque nos variandi amor ratione ductus & incenſus ad ſanitatem revocat.

SYNTAGMA VII.

De Doctoris Laurea, Titulisque Scholaſticis.

PRimus Auguſtus ſtatuit, nequis niſi ex Imperiali facultate ſibi conceſſa de Jure reſponderet; cum antea quivis id facere poſſet, qui peritus haberetur, & peritiæ ipſe ſuæ fiduciam haberet vel domi in ſolio ſedens, vel tranſverſo ambulans foro. Ex eo tempore reſpondendi auctoritas Principis beneficium eſſe cœpit; quique reſponderent, Prudentes dicebantur. Id porro faciebant vel voce, vel ſcripto, vel per epiſtolam; unde extitit Juris Civilis diſciplina. Longo poſt tempore qui ſecuti ſunt Imperatores, maluerunt habere circa ſe Juriſperitos, ex quorum conſilio jus dicerent; idemque eos facere voluerunt, qui vel Romæ, vel in provinciis ipſorum nomine judicia exercerent: unde eſt Adſeſſorum nomen & officium. Regnantibus in Italia Longobardis, diuque poſt ipſos, qui juris legumque ſcientia præſtarent, Judices dicti ſunt, certoque ordini adſcripti, quæ vulgo Fratalea vocabatur. Nam Doctor ut vox ipſa ſonat, is tantum dicebatur, qui re ipſa doceret. Nomen honorarium cœpit eſſe, ut quam longiſſime repetamus; circa annum MCXXXVII. quo Irnerius Legum Romanarum in Bononienſi Gymnaſio Interpres, ut Pandectis tum primum repertis famam conciliaret, homineſque alliceret, inſignia quædam excogitavit, quibus orna-

re-

retur, qui in hoc ſtudii genere præcelleret; nec doctus modo appellaretur, ſed etiam Doctor. Res initio parva poſtea gentium conſenſu & Principum auctoritate crevit; tandemque eo provecta eſt, ut nemo Jus dicere, aut interpretari poſſet, niſi Doctor eſſet; nec ullus, quamvis doceret, Doctor haberetur, niſi eſſet ex formula nuncupatus. Ex noſtris primum invenio, qui honorem hunc obtinuit, & recenti Gymnaſio auſpicia præbuit, Ubertinum de Lazzara, civem Patavinum ſummo loco natum.

Et ne Legum periti viderentur hac de cauſſa ſupra reliquas diſciplinas earumque Profeſſores imperium adepti, non multo poſt exemplum æmulati Decretorum Interpretes, Theologi, Philoſophi, Medici, qui Magiſtri titulo gaudebant, Doctores dici maluerunt, ſuaque ipſi quoque Laurea coronari. Impetus hic adeo ambitione progreſſus eſt, ut ad Grammaticos uſque pervenerit. Etenim Joannes de Camerino, noſtræ hujus Univerſitatis alumnus anno MCCCXCII. IV. Kal. Jul. in Grammaticis ſtudiis probari voluit, Doctoriſque nomine atque inſignibus decorari. Sed Gramaticis quidem, cum minus graves diſputationes habere viderentur, via hæc ad honores Academicos cito præcluſa eſt.

Contendere alii paullo felicius favore & pecunia: atque hinc Doctores orti ſunt *Bullati*, & *Codicillares*, qui primum a ſummis Pontificibus, & Imperatoribus, poſtea vero etiam a Comitibus Palatinis, abſque idoneo ingenii experimento, per bullas, & codicillos creabantur. Facultatem

hanc Academiarum propriam ad privatas perſonas detrudi vetuit Pius V. Pontifex Maximus, juraque omnia generis hujus Comitibus Palatinis conceſſa revocavit & extinxit; quod ludibria iſtiuſmodi Doctoris titulum dignitatemque in contemptum adduxiſſent. Sed multo ante Patavina Collegia magiſtros monuerant, ne ſtudioſos adoleſcentes Comitibus Palatinis, aut aliis, qui ſe *Privilegiatos* ferebant, quovis titulo ſiſterent, fidemque ſuam adjungerent. Attamen claritas generis divitiis fulta ſatis commode ſibi conſuluit, primum quidem laxatis paullatim examinibus, deinde vero omnino ſublatis; quique hac via Doctores creantur, creari dicuntur more nobilium. Credibile eſt, graves fuiſſe cauſſas, quibus permoti Univerſitatum Moderatores honorem hunc ſine examine Magnatibus patere voluerunt, qui jure potius & auctoritate, quam ſcientia Doctores eſſent. At nihil eſt cauſſæ, cur Promotores, qui illos ornant, nudam iſtam ſimplicemque paucorum verborum recitationem, quæſitis præter modum fidemque laudibus, ad cœlum efferant. Hic enim mihi res ipſa in mentem revocat Joſephum Mariam Bolzonum, clari nominis in Parmenſi Academia Profeſſorem, qui cum Lauream conferret viro nobili Pompejo Sacco anno MDCCXLV. ſermonem de ejus laudibus inſtitutum his verbis clauſit: *Id cum in Cæſareo, tum in Pontificio jure nobilium more confirmaſti, ut non aliter Papinianus, aut Labeo expoſuiſſent, vel Simonides, aut Hortenſius recitaſſent. Ceterum ex hac arena, qui pugil ingreſſus*

es,

es, egrederis Triumphator. Sic olim Scipio Carthaginem Cornelius adiit, & rediit Africanus. Apud nos certa quædam formula eſt, eaque omnibus communis, ac perpetua; cui ne quid adderetur, Senatus decreto cavit idibus Mart. MDCLXXIV.

Ac primum quidem inſtitutio hæc intra fines diſciplinarum ſtetit, quæ ad vitæ ornatum & ſplendorem referuntur; nec ulli in mentem venit, ut Medicus more nobilium ſalutaretur: poſtea id quoque uſuvenit, & quidem ubique fere, imminuta jam fide, quæ medicinam facientibus haberi conſueverat. Quamquam ſua ſunt & ab Juris Doctore pericula, a quo potiſſima reip. pars judicia reguntur. Sed quid tandem? Si mea mihi judex auferat, non deeſt appellationi locus: ſi Medicus vitam auferat, nulla eſt appellatio. Nihil horum Gymnaſia neſciunt: ac proinde cautiones quædam alicubi adhibentur, ne, qui ſine experimento ad honorem probatus eſt, omnia ſtatim ſibi licere exiſtimet, atque hominum vitam temere in diſcrimen adducat.

Olim qui rite recteque peteret, confecto in ſcholis publicis privatiſque ſuæ diſciplinæ curriculo, ter in publicum prodibat, ut de illa interrogantibus reſponderet: tum principem aliquem auctorem ex cathedra prælegebat; ut, cum re vera docuiſſet, Doctor declarari jure poſſet: quod ſi de Medica ageretur Laurea, illud inſuper opus erat, ut Clinicis per annum integrum aſſectando operam dediſſet. Hæc ſine fallaciis cum præſtitiſſet, primum apud Collegii patres ſubibat

exa-

examen, quod *tentativum* dicebatur. Id ſi proſpere eveniſſet, ſequebatur alterum, quod *rigoroſum* vocabant; ac ſubinde tertium minime periculoſum, quod Laureæ ſolemnia comitabatur. Jamdiu tertium hoc, & publicæ Laureæ pompam nimis gravis expenſarum ſumma plane ſuſtulit: primi autem locum *Recitatio* tenet, quæ apud Promotores habetur. Secundum manet adhuc; theſeſque exponendæ ſorte ducuntur; nec niſi dies unus petitori conceditur ad ſe comparandum. Binos Theologi dies ſuo quodam more ſibi ſumunt; & ſiquidem Cœnobitæ ſint, quamlibet multos; quandoquidem titulis præditi omnes accedunt, quos non deceat in ſortis diſcrimen dare. Qui Juris, aut Artium Collegiis aggregari velit, alia quædam examina ſubit tum in Xenodochio, quæ Tentamina dicuntur, tum in Gymnaſio, quæ Concluſiones. Levius examinantur, qui in ea dumtaxat Medicinæ parte probari volunt, quæ manu adminiſtratur, & Chirurgia dicitur. Ab his ne Latinus quidem exigitur ſermo; quæ conditio in aliis omnibus prima eſt. Quamquam, ne ullius licentiæ deeſſet exemplum, anno MCCCXCVII. V. Kal. Mart. Abraham Hebræus vulgari ſermone probatus eſt in arte tota, *petente magnifico civitatis Domino*, ut eſt in Actis. Verumtamen ex arte ipſa primis temporibus nihil cuiquam remittebatur.

In omnibus autem examinibus magnum eſt ab eo ſubſidium, qui examinandum producit, & Promotor appellatur. Is initio unus erat plerumque ex eorum ordine, qui publice do-

docent, ſed interdum etiam ex aliis Collegii Doctoribus. Poſtea conceſſum Candidato eſt, ut Promotorem alterum ſibi adſciſceret, & medius inter utrumque majore cum dignitate ac ſecuritate diſputaret. Subinde porro ita crevit numerus, ut cum æmulationes ac lites identidem orirentur, quibus Collegiorum auctoritas impar videbatur, Senatus decreverit anno MDCXIV. ne Promotores plures eſſent, quam quatuor, & quidem ex publicis Profeſſoribus. Numerus hic iccirco placuit, quod quatuor ea ſint, quæ ad rei naturam pertinent, Laurea, Cathedra, Liber, & Anulus: quæ ſingula ſinguli aliquando tradebant, ſed poſtea ad unum devenere, qui ſe profitebatur conſenſu agere *Compromotorum*, ut eſt in veteri formula. Attamen anno MDCXXX. ad majorem quamdam rei pompam, ita poſtulante univerſo ſtudentium ordine, auctus eſt Promotorum numerus ad ſenos; ut Oſculi quoque, ac Benedictionis habita ratio videretur. Quinam autem eſſe deberent, aliis atque aliis decretis Magiſtratus declaravit. Ceterum decreta hæc non pertinent niſi ad Collegia duo, Juris, & Artium. In Theologorum Collegio omnia libera fuere uſque ad annum MDCXXXII. quo juſſit Senatus, ut perpetuum ptomovendi jus eſſet penes utrumque Theologum, utrumque Metaphyſicum, & S. Scripturæ Interpretem; qui omnes proinde hac de cauſſa in Collegium reciperentur, quandoquidem uſuvenerat, ut Scholæ iſtæ non committerentur niſi Theologis, & quidem ex iis ordinibus, in quibus jus eſſet magiſterii.

Nunc

Nunc Metaphyſici, educta jam ex clauſtris Thoſtimicis & Scotiſticis ſchola, Logicæque adjecta, ſi inter Promotores cenſeri velint, Laurea Theologica, & Principis reſcripto indigent. Ex iis autem Profeſſoribus modo unum Candidatus ſumebat, qui ſibi Promotoris loco eſſet, modo plures, modo omnes, modo etiam ſextum addebat ex toto Collegii corpore. Anno primum MDCLXVII. deinde etiam quinquennio poſt omnem præbendæ Laureæ facultatem duobus Theologis Senatus conceſſit, excluſis Promotoribus aliis, niſi forte uterque Theologus abeſſet. Id mutari placuit, ut eſt rerum humanarum natura, anno MDCCXXXIX. quo æquatum jus eſt inter omnes. Illud quoque additum per occaſionem decreto eſt, ne quis in poſterum ad lauream Theologicam petendam accedat, quin prius, diſputatione in Gymnaſio habita, per trium ſaltem Promotorum ſuffragia idoneus judicetur. Ab hujus tamen diſputationis onere immunes habentur, qui Lauream petunt more nobilium; ne ullum viri nobiles ingenii periculum in Theologia faciant.

Orta aliquando controverſia eſt, cujus auctoritate honores Academici diſtribuerentur: cumque alii pro Pontificia ſtarent, alii pro Imperiali, demum inter omnes convenit, ut honores iſtiuſmodi, omniſque inde orta poteſtas, ab eo vim capiant, cujus auſpicio Univerſitates ſunt inſtitutæ, & in cujus ditione ſunt. Itaque ſæculi ſuperioris initio vetuſtis Juriſprudentiæ atque Artium Collegiis, quæ ſacra & Pontificia di-

dicuntur, duo præterea Senatus addidit, quæ ſolis conſtarent Profeſſoribus, eorumque Præſes Veneta auctoritate Lauream conferret. Theologici Gradus in Pontificis jure & auctoritate relicti ſunt. Sed de his paullo plura dicenda ſunt, eaque altius ab ipſo exordio Theologici ſtudii repetenda; quod ambigua multa, nonnulla etiam prorſus falſa, ſed vulgo recepta ferantur.

Sacram Theologiam, ipſamque Theologicam Lauream ad Gymnaſii primordia Hiſtorici noſtri conjiciendo referunt, rati videlicet, ubi Univerſitas eſt rite recteque inſtituta, ibi diſciplinam hanc deeſſe non poſſe. Sed, ſi verum quærimus, neque Patavii, neque Bononiæ primis temporibus alia fuere Theologica ſtudia, quam quæ ad religionis & Eccleſiæ ſtatum conſtituendum, Conciliorum decretis, & ſummorum Pontificum conſtitutionibus continentur: quique iſta tenerent, aliiſque explicarent, ſacrorum Canonum Profeſſores dicebantur, vulgo *Decretiſtæ*, ac *Decretaliſtæ*. Extat Clementis VI. diploma anni MCCCXLV. in quo Gymnaſii Patavini jura confirmantur; omneſque artes ac diſciplinæ vigere apud nos dicuntur, præter Theologiam. Ex Univerſitatibus omnibus prima, quæ ſtudium hoc tamquam ſuum coluit, tituliſque exornavit, & legibus conſtituit, Pariſienſis fuit. Nec vero ordo ejus Theologicus ita eſt antiquus, ut vulgo ferunt, quamvis ſchola ipſa ſit antiquiſſima. Siquidem uſque ad initia ſæculi XIII. ut ſcribit Joannes Fileſacus de origine Statutor. Facult. Theol. Pariſien. *Philippo Auguſto Rege, qui obiit anno* MCCXXIII.

MCCXXIII. nullæ fuere, aut paucæ leges, uti nec ſolemnes ritus, & formulæ ad curriculum Theologicum emetiendum. Poſtea ad arcendos ſciolos, qui ſibi docendi licentiam temere ſumebant, ut idem refert, *ſacra Theologica facultas in quatuor veluti ordines diſtributa eſt, Magiſtrorum, Licentiatorum, Baccalariorum Formatorum, & Baccalariorum Curſorum. Inde publicæ exercitationes indictæ, Expectativa, Tentativa, Sorbonica, Ordinaria, Quodlibeta, Collationes, Diſputationes in reſumptis, & ſimilia.* Non eſt diſſimulandum, ſcriptores alios majorem quandam vetuſtatem comminiſci, quam huic Ordini impertiantur; ſed ſunt etiam, qui minorem. In Italicis ſcholis cum florere cœpit diſciplina hæc, ii maxime Theologi habiti ſunt, qui rerum divinarum cognitionem quæſtionibus complectentes, ad eas illuſtrandas inter ſe diſputarent. Ex diſputationibus iſtiuſmodi, quibus ingenia cientur & acuuntur, ſectæ manarunt, quarum principes duæ, ex Cœnobitarum Mendicantium familiis ortæ, Thomiſtica, & Scotiſtica. Utraque ſe intra cœnobiorum clauſtra diu tenuit: ſed paullatim inclinatis ubique ad diſputandum ſtudiis, in Gymnaſium recepta eſt, ipſa petente juventute, quæ nova omnia libentiſſime amplectitur. Utcumque ſit de Theologicis ſectis, ipſa per ſe Theologia non ſcientia ſolum, ſed plane princeps dici debet, magnaque providentia factum eſt, ne Patavinæ deeſſet Academiæ. Id primus juſſit Franciſcus Carrarienſis civitatis Dominus, & anno MCCCLXIII. ratum fieri curavit Ur-

bani

bani V. diplomate, quod refertur a Tomaſino in libro Gymnaſii Patavini IV. p. 372. Magiſtri autem per ea tempora eligebantur ab Epiſcopo ex Cœnobitis, qui vel apud ipſum, vel in ſuis quiſque clauſtris, ut adhuc Pariſiis uſuvenit, publice profiterentur. Et quia in eodem diplomate conceſſa Epiſcopo facultas eſt titulos Academicos, & magiſterii inſignia conferendi, ex Pariſienſis Univerſitatis more, quoties aliquis primis illis temporibus probari vellet, & magiſter declarari, Epiſcopus Theologos, qui in urbe eſſent, advocabat, quorum unus ejuſdem plerumque Ordinis, & quidem *Regens*, ut ex Pariſienſi formula loquebantur, & magiſter ejus, cuncta agebat, quæ nunc per eos aguntur, quos Promotores vocamus.

Hinc prima apparet Collegii Theologici adumbratio; quod quidem initio ex Medicorum Collegio aliqua ratione pendebat, ejuſque Bidello utebatur, rituſque ſervabat. Sed non multo poſt ſuos ſibi Bidellos elegit, regulaſque condidit, quibus per ſe quoquo modo ſtaret. Quia porro, quæ magna ſunt, celeriter perfici nequeunt, anno dumtaxat MCCCCXXIV. cura Petri Marcelli Epiſcopi Patavini, emendatis primis illis legibus, corpus hoc abſolutum eſt, peculiari jure munitum, & Apoſtolica Martini V. auctoritate magis magiſque firmatum. Quemadmodum autem cum Medici, & Philoſophi ab Jureconſultis receſſerunt, Gymnaſium in duas Univerſitates ſciſſum eſt, quarum una Juris, altera Artium dicta, ita ex hoc tempore Theologica ſchola cœpit ſe Uni-

Univerſitatis nomine vocitare, ſuaſque ſibi res agere, veluti Gymnaſii pars a duabus reliquis divulſa. Atque hinc multa decerni, juberi, vetari per Theologorum Collegium; nihil tamen umquam niſi ex Epiſcopi judicio & voluntate, qui in hujuſmodi actis dicitur Gymnaſii Cancellarius, & Univerſitatis Theologicæ caput. Anno MDCIX. Artium Univerſitas, lite apud Triumviros intentata, ſummopere contendit, ut Theologos ſibi adſciſceret, ſuiſque oneribus ſubjiceret. Sed poſt diuturna decem annorum certamina cenſuit Magiſtratus, nihil eſſe innovandum; nihilque revera innovatum eſt uſque ad annum MDCCXV. quo vetitum eſt Theologiæ ſtudioſis Doctoris inſignia capere, quin prius apud Artium Rectorem nomina ediderint.

Sumptus in Lauream tituloſque impendendus ſæpe variatus eſt, ſemper tamen in Collegii & Epiſcopi auctoritate taxatio fuit; eſſetque adhuc, niſi coactus fuiſſet Senatus anno MDCCXXXIV. nimiæ quorundam cupiditati obviam ire, fineſque certos, qui nulla interpretatione violarentur, præſcribere. Ceterum operæ pretium eſt cognoſcere, quanto Laurea Theologica apud majores noſtros impendio conſtaret. Ex veterum Statutorum P. II. C. X. *Aulæ die Candidatus a cunctis magiſtris ceteriſque Incorporatis aſſociatus ducitur ad Epiſcopum, ubi, cum accepit inſignia, orationem habet de laudibus Theologiæ & hujus Univerſitatis. Tum dat pulchrum birretum, & par chirothecarum Epiſcopo, Sacriſtæ itidem, & Vicecancellario; cuilibet Magiſtro birretum magiſtrale, & par*

& par chirothecarum de hædo; cuilibet Doctori aliarum facultatum, quibuslibet Baccalariis ſententiariis, & Biblicis, & ſtudentibus ceteris chirothecas; familiaribus Epiſcopi duodecim paria chirothecarum, vel quinquaginta ſolidos; Regenti ducatos aureos viginti, & ipſum induere teneatur, pro quibus indumentis ducatos viginti deponat; cuilibet magiſtro in aula diſputanti & varianti ducatum unum; Bidellis ducatos duos; præterea ſolemne prandium omnibus magiſtris, & ſtudentibus, & Bidellis noſtris, excluſis ceteris, qui non ſunt de corpore Studii. Hæc clariora fient, cum futuri experimenta Doctoris ordine dabo, tituloſque minores peragam, qui huic longe maximo præmittebantur.

Cum quis igitur Theologicum curſum abſolviſſet, inter *Archiſcholares* referebatur, quos *Baccalarios*, nomine a Gallicæ militiæ ordinibus mutuato (bas cavaliers) vocabant. Fuit enim in Univerſitate hac prioribus ſæculis uſque ad decimum ſeptimum, more a Pariſienſibus Theologis recepto, ordo quidam *Baccalariorum*; cujus ordinis qui non eſſet, vel in eum irrepſiſſet non ſolutis expenſis, nullo umquam tempore ad magiſterium aſpirare, nullaque conditione poterat. Id vero adeo firmum, ratum, fixumque erat, ut ſiquis ex magiſtris de abrogando, vel derogando ad Collegium tuliſſet, ſtatim Collegii jus & emolumenta per quinquennium amitteret; & ſiquis alius pro eo ſupplicaſſet, in eamdem noxam pœnamque incideret. Ad hunc igitur numerum adſcribebatur, qui in publica diſputatio-

ne ab aliquo magiſtro tentatus eſſet, quomodo loquebantur; deinde ad Collegium adductus, ejuſque ſuffragiis probatus *Baccalarii* nomen, annuente Epiſcopo, obtinuiſſet. Tentari autem a quolibet magiſtro poterat Decani auctoritate aſſignato; ſed adduci ad Collegium per magiſtrum *Regentem* debebat. Receptus a Collegio cum eſſet, dicebatur *Baccalarius Incorporatus*. In aliis diſciplinis *Baccalarii* titulus quamdiu valuit, minore negotio acquirebatur, & unius rationis erat; cum in Theologica ſchola gradibus & formis diſtingueretur. Nam ex Theologiæ *Baccalariis* alii *Curſores* erant, qui nondum ad ſtudiorum metam pervenerant; alii *Formati*, ſeu *Diſpoſiti*, qui, cum jam perveniſſent, dividebantur in *Biblicos*, & *Sententiarios*. *Biblici* ſacras Litteras, *Sententiarii* quatuor Magiſtri Sententiarum libros in ſuis quiſque cœnobiis, vel in Epiſcoporum ædibus exponebant. Harum autem expoſitionum rationem illi reddere debebant, qui Collegio præeſſet. Propterea ſiquis eorum alibi, quam Patavii, defungi vellet, a toto Collegio veniam petebat; quæ interdum concedebatur, modo in hac urbe ſuis proluderet diſputationibus. Qui geminum hunc curſum, *Biblicum*, & *Sententiarium*, peregiſſet, diſputationeſque ordinarias *de quolibet*, ut formula erat, coram *Regente* ſuo habuiſſet, *Lecturæ* ſatisfeciſſe dicebatur: proindeque Epiſcopo ſiſti ſolebat, qui omnia cognoſceret, probaret, atque in Collegii acta referri præciperet.

Tum vero, ſi libuiſſet, altius aſſurgebat. Quæſtiones enim diſceptandas poſcebat, quas a ſeniore ma-

magiſtro cum accepiſſet, coram Epiſcopo ipſo Patribuſque omnibus rite convocatis, gravi illo experimento probabatur, quod *rigoroſum* dicebant, ut per ſuffragia & juſiurandum inter *Licentiatos* referretur. Tituli hujus, qui Juris utriuſque, Philoſophiæ, ac Medicinæ ſtudioſis uſque ad annum MCDXLIV. communis habebatur, ea vis erat, ut qui illo præditus eſſet, ad Lauream petendam accedere ſtatim poſſet. Quidam tamen eo contenti oblatam docendi occaſionem tum in hac, tum in aliis Univerſitatibus capiebant: quod Fr. Ambroſium Barbavarium, Theologum ex Prædicatoribus apud nos primarium, feciſſe conſtat anno MDLXII.

Qui Laurea quoque, titulorum & honorum ſumma, ornari cuperet, paucis ante diebus, quam accederet, ad ſummum octo, *Veſperias* habebat. Ita appellabant publicam concertationem, quæ Laureæ ſolemnia proxime anteibat, ad quam convenire oportebat *Baccalarios*, magiſtroſque omnes. Ac primum quidem diſputans cum *Baccalario* certabat, deinde cum duobus ſenioribus magiſtris: quod illi ſi recte ceſſiſſet, *Veſperiatus* dicebatur. Poſtrema actio *Conventus* erat, cum *Licentiatus* in Cathedrali baſilica, ut tunc loquebantur, *Publicam accipiebat*, ideſt publice coronabatur, & Doctor fiebat. In hac tamen ipſa actione diſputabatur, non ab illo dumtaxat, ſed ab aliis quoque Doctoribus ad rem celebrandam. Diſputatio hæc ultima, quæ in actis *Variatio* dicitur, aliquid habet peculiare, quod ex ipſis Statutorum verbis cognoſci malo, quam ex meis. Ita enim

eſt in Parte I. C. X. *In aulæ die Regens primo Doctorandum magiſtrali infula cum aliis ſignis coronet. Secundo Doctoratus ipſe ad laudem Sacræ Scripturæ oret, & cum uno Baccalariorum breviter unam quæſtionem diſputet; contra quem etiam Baccalarium magiſter Regens aulati arguat. Tertio & ultimo duo antiquiores magiſtri cum duobus magiſtris junioribus duas variatas quæſtiones ſuper eadem materia ad laudem novi Doctorati proponat; quæ quæſtiones breviſſime a junioribus per concluſiones decidantur, atque varientur, ita quod ſecundus Magiſter junior contradicat concluſionibus primi Magiſtri in materia diſputabili ad utramque partem.*

Tam multa hæc, tamque gravia experimenta non diu tenuere. Ac primum quidem, quod in aliis Collegiis fiebat, *publicus Conventus* remitti per Epiſcopum, Patreſque cœpit, collatis Inſignibus intra privatos aulæ Epiſcopalis parietes; unde actus ultimus *Aula* dictus eſt, & qui eum peregiſſet, *Aulatus*: deinde ipſa quoque *Lecturæ* ratio aliis imminuta eſt, aliis protinus remiſſa: tum diſputationes reliquæ in unam redactæ, & apertum omnibus Collegium eſt pretio non ſane immodico. Vetitum tamen eſt ex communi Patrum conſenſu, ne illi, qui præter Lauream in Collegii jura & ſubſellia recipi vellent, aliter reciperentur, quam ſi per quadriennium Theologiæ operam dediſſent, eamque in publico certamine laudabiliter defendiſſent.

Quemadmodum autem Cœnobitis accedere ad Collegium non licebat ſine illorum permiſſu, qui-

quibus pro ſuſcepto inſtituto parerent, ita reliqui Candidati Epiſcoporum ſuorum venia & commendatione indigebant; quod aliter promoveri non poſſent, quam ſi eſſent Eccleſiæ ſacris initiati, ideoque Epiſcopo quiſque ſuo hac de cauſſa obſtricti. Quia tamen nihil magis Collegio cordi erat, quam ut plurimos alliceret, excuſationem quamlibet, modo honeſte poſſet, admittebat. Quod ſiquis ſacros ipſos Ordines ſibi condonari vellet, auctoritate indigebat Pontificis ſummi, cujus rei exemplum eſt in actis Collegii ad VI. id. Maj. MCCCCXCIV. Clericus eſſe utique debebat, qui Theologi nomen & inſignia quæreret. Cum enim corpus hoc Eccleſiaſticum ſit, & ad Sacras Litteras interpretandas inſtitutum, ex ipſa rei natura neceſſario ſequitur, neminem admitti in illud poſſe, qui non ſit Eccleſiæ addictus. Verum, quia nihil eſt tam abſurdum, quod non ſæcula ferant, præſertim in cœtibus illis, quibus ſors & urna præſides tribuit, Antonius Milana Vicetinus V. id. April. MDCLXXX. probatus eſt, atque aggregatus Theologorum Ordini, quamvis Clericali initiatione careret; ea tamen conditione, ne Collegii jure uteretur, antequam Sacerdos eſſet.

Primis temporibus quicumque Doctoris Inſignia Patavii obtinuiſſet, jus quoque Collegii ſtatim obtinebat, ut examinare poſſet alios, qui Gradus ſcholaſticos peterent, totiuſque honoris hujus atque emolumenti particeps eſſet; modo in urbe maneret, nec aliis implicatus muneribus averteretur. Sed cum allici homines nulla ratione

poſſent, ut Collegii ſolitudo frequentaretur, pauci illi, qui ſpeciem ejus nomenque tuebantur, decrevere III. Kal. Maj. MDXXXVII. decretumque ſua quiſque manu firmarunt, *ut quilibet in ſua Religione habitus magiſter poſſet Collegio adſcribi, ſive eſſet creatus ab aliqua Univerſitate, ſive ab aliqua perſona privata, quacumque in civitate, quocumque in loco, non obſtante alio Statuto in contrarium facto*. Eadem porro facilitate excludebantur, ſi qui aut loco indigni reperti eſſent, aut turpe aliquid agerent. Eximiæ hujus in cuſtodienda Collegii fama cautionis & providentiæ exemplum extat in actis ad Kal. Febr. MDXXX. Sed & in alia duo, Juris, & Artium, quicumquæ reciperetur, vitæ ſuæ teſtes laudatoreſque habere debebat.

In hoc quoque Theologorum Collegio Lauream conferri placuit more nobilium. Id primum Gymnaſii Profeſſoribus indultum eſt, quod ſupra ingenii aleam poſiti nullo modo provocandi viderentur ad reſpondendum. Poſtea, ineunte ſæculo decimo ſeptimo, quo Theologica ſtudia non ad veritatem ſolum, ſed interdum etiam ad ſpeciem fieri cœperunt, beneficium hoc propagatum eſt; ita tamen, ut nemo illo uti poſſet, niſi Epiſcopus, conſulto Collegio, argumenta peculiari decreto condonaſſet. Sæculo autem inclinante, ne res amplius in ancipiti verſaretur, conſtitutum eſt, ut nulla petita venia, allatiſque domo theſibus, quæ antea ſorte duci conſueverant, omnes accedere more nobilium poſſent, qui Veneti Patricii eſſent,

vel

vel dignitate aliqua Eccleſiaſtica potirentur, Patriarchæ, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Protonotarii Participantes, Abbates, Eccleſiarum Cathedralium Canonici, modo re, non nomine, tales eſſent, excluſis etiam Adjutoribus, Præſides Cœnobiorum Generales, & Provinciales quoque, ſi actu provincias regerent, denique Præſules omnes, qui pari, vel majore aliqua dignitate præditi dici poſſent. Caput hoc poſtremum & late patens, & ambiguum, iccirco additum videtur, ut, quoties libuerit, locus ſit interpretationibus. Ceterum ſi quis more nobilium non coronari modo, ſed adſcribi etiam Collegio velit, theſes illi biduo ante ſorte ductæ præberi debent ad recitandum, qualicumque titulo, vel dignitate præditus accedat: quod Collegii Patres decrevere IX. Kal. Octobr. MDCLXVII. & Triumvirali auctoritate confirmatum eſt. Sed hoc ipſum quia nimis grave videbatur, nunc promiſcue omnes de ſuo recitant, quidquid lubet. Invitus ſane de noſtræ ætatis moribus quæ ſequiora ſunt, in medium affero. Sed niſi nota fiant, nullus erit umquam remedio locus. Corpora iſtiuſmodi, ſicut ædificia, vetuſtatis detrimenta ſentiunt, atque identidem vitium faciunt; quod niſi cernatur, & in ſermonem veniat, reparatione caret.

Initio ſoli fere Cœnobitæ provinciam hanc tenebant, lateque dominabantur: ſed nunc ſæculares Presbyteri Theologica ſubſellia longe plures occuparunt. Non deſunt ſane Cœnobiis hoc tempore Theologi; nec leges deſunt, quæ eos Patavinam Lauream ſumere jubeant, ſiquidem velint

in ſuo quiſque Ordine eminere, & magiſterii commodis uti: ſed publici experimenti tædio neſcio quo legum laxamenta quærunt. Attamen & ſumptus facile remittitur, & tota examinum ratio ad ſummam facilitatem redacta eſt. Cum enim olim Promotores ſubſellia tenere non poſſent examinandis proxima, neu verba in reſponſionibus præire; quod Senatus vetuit XV. Kal. Sept. MDCLV. nunc indulgentia temporum proxime adſident, verba recitantibus de ſcripto ſuggerunt, & ſicubi hæreant, reſponſa dictant. Hinc frequentia, ſi non Cœnobitarum, at aliorum. Sæculis enim quinto & ſexto ſupra decimum pauciſſimi reperiebantur, interdum vix quinque, qui Collegii nomen ſuſtinerent: nunc autem cœtus hic ita crevit ut copia ipſa nonnihil querelæ habeat.

Quamvis autem & in hoc Collegio, & in aliis priſtina mitigata ſeveritas ſit, moribuſque mollita, nondum tamen eo devenimus, ut abſentes quoque, ſubjectis perſonis aliis, Doctoris nomine atque Inſignibus ornemus. Id ſibi licere voluit, noſtræ hujus & Italicarum omnium quaſi parens, Univerſitas Bononienſis, cum Euſtachium Manfredum, virum ceteroqui meritiſſimum, Philoſophica Laurea abſentem coronavit anno ſæculi hujus trigeſimo octavo XVI. Kal. Sextil. In eo vero antiquorum gravitatem ſuperamus, quod ſuffragiorum religionem fidelius cuſtodimus. Olim enim qui eſſet per Collegii ſuffragia reprobatus, interdum *ex gratia ſpeciali*, præſertim petente Epiſcopo, Doctor renunciari ſole-

ſolebat. Vetuit Juriſconſultorum Collegium pridie Kal. Sept. MDXXV. juſſitque, eum qui eſſet reprobatus, inhonoratum abire, nec ad novum examen accedere niſi poſt annum. Exemplum autem reliqua duo ſecuta ſunt. Quod ſiquis, non ſuffragia omnia, ſed plura modo ferat, *Doctor pro majori* declaratur; ejuſque diploma, non pergamena picturis ornata, ſed ſimplici charta deſcribitur: ut, ſi qua oriatur de honore meritiſque contentio, illis cedat, qui ſe, nemine diſſentiente, probatos fuiſſe, ornatiore diplomate oſtendere poſſint.

Studiorum quoque curſus, examinibus præmittendus, patrum noſtrorum conſilio contractus eſt, multis hoc tempore ad diſciplinas celeriter addiſcendas paratis auxiliis; nec ulla jam repellitur ætas. Graves illi Univerſitatum auctores ac principes annis minorem eſſe viginti quinque noluerunt, qui ſe tanto oneri parem exiſtimaret: deinde ad viginti deducta res eſt; tum ad decem & octo; poſtremo ex his ipſis annum detrahi poſſe cenſuerunt. Nunc eo negotium devenit, ut quivis admittatur, cui non vana ſit ſuarum virium fiducia.

Ex tanta hac erga juvenes laudis ſtudioſos Academiarum bonitate atque indulgentia, non copia ſolum, ſed prope turba Doctorum orta eſt; &, quod conſequitur, veteri exiſtimatione extincta, jura illorum pulcherrima & immunitates uſum amiſere. Ubi enim nunc illa, quæ olim Doctori concedebantur, ut veſtes ferat auro pellibuſque lautiſſimis ornatas? ut inter Principis familiares habeatur, ejuſque conſiliis interſit? ut ad civiles

Ma-

Magiſtratus & Sacerdotia plus juris, quam reliqui cives habeat? ut ad pendenda tributa populo communia non compellatur; ideoque ſua omnia, nullo ſoluto vectigali, importet, atque exportet? ut ad munia perſonalia cogi nequeat? ut ejus in judicio teſtimonium ceteris præferatur? ut injuria illi facta conſeatur gravior? ut, ſi criminis poſtuletur quantumlibet gravis, cauſſam dicere ex vinculis non teneatur? ut nullis torqueri indiciis poſſit? ut noxæ damnatus pœna minore plectatur? ut & ipſe nobilis ſit, & ejus uxor, marito præmortuo, viro nobili nubere poſſit? Tot hæc tantaque Doctoris bona exoleta jam ſunt; nomenque ipſum, proh Superi, qui quæſivere, nunc reſpuunt, & inter convicia reputant. Sed quemadmodum litteræ, ita tituli quoque litterarii ſuis fatis aguntur; & quidquid ex hoc genere intercidit, pro temporum converſione, & rerum humanarum viciſſitudine, aliquando renaſcetur. Id non temere dico. Sæculo enim quartodecimo Doctorum fama ita defluxerat, ut vir graviſſimus Franciſcus Petrarcha ſcribere non dubitaverit in Dialogo primo de Vera Sap. *Venit juvenis ſtultus ad templum Doctoris inſignia recepturus; præceptores illum ſui celebrant ſeu amore, ſeu errore; tumet ille; vulgus ſtupet; applaudunt affines & amici; ipſe juſſus cathedram ſcandit, cuncta jam ex alto deſpiciens, & neſcio quia [illegible]uſum murmurans. Tunc majores certatim ceu divina locutum laudibus ad cælum tollunt: tinniunt interim campanæ, ſtrepunt tubæ, volant anuli, figuntur oſcula, vertici rotundum ac magi-*

ſtra-

ſtrale biretum apponitur. His peractis, deſcendit ſapiens, qui ſtultus aſcenderat. Mira prorſus transformatio, nec Ovidio cognita. Sic fiunt ſapientes.

Attamen poſtea diſciplinarum ſtudiis renovatis, hujus nominis dignitas & exiſtimatio non ſolum reſtituta eſt, ſed ita convaluit, ut cum Equeſtri ſit comparata. Nunc rurſus vel extabuit, vel conſenuit: ſed tum mea quidem ſententia revireſcet, cum ad priſtina experimenta, & publicæ pompæ ſplendorem revocabitur. Quid eſt enim cauſſæ cur ſaltem illi qui ſe more nobilium probari & ornari volunt, publicam recipiendæ Laureæ formam, a majoribus uſurpatam, tantopere effugiant? Scilicet impenſæ graves ſunt. Et eſſe mehercule debent, ne quilibet unus, quæſitis inter domeſticas ſordes obſoletæ, vel fucatæ nobilitatis titulis, in magnatum honores obrepat. Poſtremum nobis publicæ Laureæ exemplum Veneta matrona præbuit. Anno enim MDCLXXVIII. Helena Lucretia Cornelia Jo. Baptiſtæ Marciani Procuratoris filia, cum in Philoſophorum Collegio, quæ moris ſunt, animoſe ſtrenueque peregiſſet, in Cathedrali Baſilica magiſterii nomen & Inſignia publice accepit. Paucis ante diebus adverſus Græcum hominem, qui Philoſophicas theſes proſcripſerat defendendas, primum Latine, deinde Græce diſputavit, adſtantibus noſtræ Venetæque civitatis primoribus. Antequam autem Patavio diſcederet, ſcholaſticis titulis habituque ornata adoleſcentes duos Lauream petentes in Collegii aula rite interrogavit. Omnia porro hæc cum ad veritatem, non ad ſpeciem

ciem & fucum, præſtitiſſet, Academici Patavini, qui Recuperati dicuntur, publicam de ejus laudibus exercitationem habere voluerunt. Lubens adfuit. Cumque gratias toti ordini Latino ſermone egiſſet, urbis Rectores, qui concioni præerant, Græcis carminibus laudavit. Vetera ſunt hæc Cornelii nominis decora; Romanique ipſi Cornelias ſuas ob elegantiam ſermonis & ingenii ornamenta celebrarunt.

Ad rem noſtram quod attinet, ſcire licet, publicæ Laureæ impenſas anno MDXC. ſic fuiſſe imminutas, ut qui publice coronaretur, non plus ſolveret, quam triplum ejus, qui privatim, ne illi ſaltem, qui more nobilium in poſterum accederent, ſumptu deterriti, ſplendidiſſima hac honoris ſignificatione carere vellent. Id vero Collegia, penes quæ hujuſmodi arbitria erant, vel ea de cauſſa neceſſarium judicarunt, ne ſpectaculum Gymnaſio perhonorificum, totique civitati gratum deſuetudine amitteretur. Sed ſpes fefellit bonos viros; vel rerum morumque magiſtra experientia ipſis quoque aliter ſuaſit.

Attamen, ne res tanta omni prorſus celebritate careret, Franciſcus Denaſutus Tridentinus cum per ea tempora Juris Lauream obtinuiſſet, nummulos aliquot reliquis expenſis addidit, ut Bidello præeunte cum ſceptro argenteo, tubiſque ac tympanis concinentibus, domum deduceretur. Prodito exemplo, eundem ſibi honorem alii popoſcerunt: eoque ad extremum ventum eſt, ut illi ipſi, qui talia reſpuerent, tamen certam pecuniæ ſummam hoc nomine ſolvere cogerentur.

Nunc

Nunc tota rei pompa & publicus honor in hac affectatione conſiſtit, quam fautores atque amici honeſtare ſolent, interdum vero etiam empta plebecula clamoribus celebrare.

SYNTAGMA VIII.

De Gymnaſii frequentia & infrequentia, earumque cauſſis.

QUæ de Profeſſorum electione ſcripſimus, ſi recte conſiderentur, eorum ſiſtere querelas poſſunt, qui Gymnaſii Patavini infrequentiam ſæculi moribus objiciunt; viaſque & rationes inquirunt ejus rei reparandæ, quæ natura ſua reparari non poteſt. *Typographica* ars ſæculo quintodecimo circa medium inventa, incredibiles attulit litteris ac diſciplinis omnibus utilitates: eadem tamen plurima, quæ in Italia erant, Gymnaſia perdidit; & in paucis illis, quæ ad rei ſpeciem & dignitatem, Principum liberalitate ſuſtinentur, ſolitudinem fecit. Cum enim ſtudia ſcripto conſtarent, ubicumque viri docti eſſent, eo ſe ſtudioſi adoleſcentes conferre cogebantur, ut eorum dictata exciperent, domumque referrent. Et quia adoleſcentes homines ea fere faciunt, quæ fieri vident, illi ipſi, qui minime ſtudioſi erant, ſtudioſos ſequebantur; &, ut fama ferebat, modo huc, modo illuc quaſi ad quærendam ſapientiam volitabant. Hinc *famoſi* Profeſſoris titulus, & pro tituli hujus ratione Gymnaſiorum viciſſitudines. Ex uno Senatus decreto, atque adeo ex particula ejus res tota cognoſci poteſt.

Anno MCDXIII. XX. Jul. in Rogatis.

Cum

Cum comparuerint ad præſentiam noſtri Dominii aliqui ſtudentes in Studio Paduæ ex parte totius Univerſitatis Studii Paduani, exponentes & ſupplicantes, quod noſtrum Dominium dignetur providere Studio prædicto, quod ibi ſint famoſi Doctores; quia ſcholares ſequuntur famoſos Doctores: & niſi ad hoc provideatur, dictum noſtrum Studium deſtruetur. Et iſtud idem & Rectores noſtri Paduæ ſcripſerunt, dicentes, quod egregius & ſpectabilis Doctor D. Raphael Fulgoſius multum ſollicitatus eſt per multos, ut vadat ad legendum Parmæ cum ſalario ducatorum mille in anno, qui ſi receſſiſſet, ex toto dictum noſtrum Studium Paduanum fuiſſet deſtructum; & ob hoc ipſum D. Raphaelem reduxerunt ad remanendum cum ſalario ducatorum octingentorum & quinquaginta in anno. Dicunt etiam ſtudentes prædicti ex parte Univerſitatis Studii, quod pro bono omnino oportet habere unum famoſum Doctorem in Jure Canonico. Nam pro Lectura egregii Doctoris D. Thadæi de Vicomercato legentis in Jure Canonico ſcholares non venirent ad dictum Studium, quod ejus fama ſit parva per orbem; qui D. Thadæus habet ducatos quingentos in anno, & etiam ſollicitat velle recedere, licet videatur fore refirmatus: & quod putant habere egregium & famoſum Doctorem D. Petrum de Ancharano cum ſalario ducatorum ſexcentorum; qui ſi conduceretur ad legendum Paduæ, dici poſſet, & ita eſſet in effectu, quod Studium prædictum multum augeret ac multiplicaret, quia omnes ſtudentes ad illud venirent pro audiendo tam ſub D. Raphaele Fulgoſio, quam ſub

dicto

dicto Petro de Ancharano; quia iſti duo ſunt famoſiores Doctores Italiæ in utroque Jure.

Sed quia vident, quod hoc fieri non poſſet ſine expenſa, & cognoſcunt quod noſtrum Dominium expenſis valde gravatum eſt, ſupplicabant ut dignaremur eis concedere, quod Datium meretricum publicarum Paduæ affictetur, & ordinare Rectoribus noſtris Paduæ, quod dictum Datium ponere debeant in augmentationem Studii, & in conducendo dictum D. Petrum de Ancharano, &c.

Cum Senatus annuiſſet, Prætor Patavinus edixit, ut meretrices, quoties domo exirent, faſciam oblongam ferrent collo pendentem, lenones autem cucullum rubeum ſine faſtigio. Sed cum edictum ceteroqui minime novum crebro inculcaretur, publica hæc flagitii profeſſio probro haberi cœpit, aliiſque nominibus tegi: proindeque meretricium vectigal, cujus æſtimatio fuerat argenteorum DCCC. paucis poſt annis decidit ad CCLXXX. Eo ventum cum eſſet, res indigna viſa eſt, quæ in fiſci bonis numeraretur; Gymnaſio autem aliunde conſultum eſt.

Ceterum decreti modo allati cauſſas illud ſatis confirmat, quod narratur in Prolegomenis ad MS. Sanſoni Diarium, Joannem de Imola Juris Civilis interpretem anno MCCCCII. cum ad Ferrarienſe Gymnaſium tranſiiſſet, Scholares trecentos ex hac urbe ſecum traxiſſe. Itaque cum in Italia Gymnaſia multa eſſent, viros præſtantes certatim quærebant, evocabant, alliciebant, ſubmiſſis etiam interdum, qui furtim cum illis agerent, & ingentibus promiſſis abducerent. Id quo-

quoque publico teſtimonio confirmare placet.

Anno MCDXLVIII. pridie id. Novembr. in Rogatis. Cum hiſce exactis diebus perveniſſet ad notitiam noſtri Dominii, quod D. Jaſon de Maino, qui legebat Ordinariam Juris Civilis in Gymnaſio noſtro Patavino, practicabat diſcedere, & hoc tempore, quo jam erat dandum initium legendo, relinquere lecturam præter omnem expectationem noſtram, & omnium ſtudentium; per Rectores noſtros Paduæ cum efficaciſſimis litteris Dominii noſtri illi factæ fuerunt quæcumque exhortationes & perſuaſiones, quæ poſſibiles fuerunt: & non operantibus hujuſmodi perſuaſionibus, eidem Doctori vocato ad præſentiam noſtri Dominii per Sereniſſ. Principem noſtrum cum omni gravi, accomodata, & dulci forma verborum facta fuit omnis poſſibilis, & conveniens inſtantia, ut vellet remanere, & ſervire ad minus pro præſenti anno, cum habeat ſalarium ducatorum octingentorum auri, quod eſt honorabile, & dignum; præſertim cum jam factus fuerit Rotulus, & adventaverit tempus legendi, quo tempore non eſt conveniens, quod Doctores legentes diſcedant. Ipſe tamen parum æſtimans perſuaſiones ſupraſcriptas, & promiſſionem factam per Sereniſſ. Principem de gratia noſtra, obſtinate perſeverat velle diſcedere, dicens velle ducatos mille in anno, prout ei promittuntur per Florentinos, & aliter nolle remanere. Quæ omnia, ut clare comprehendi poſſunt, fiunt tantummodo pro malignando, & deſtruendo Gymnaſio noſtro &c.

Cum igitur Jaſon abiiſſet, ſtatim accitus eſt conditionibus ampliſſimis Joannes Campegius Bo-

nonienſis, qui alias Patavii docuerat. Ad eum autem ex patrio Gymnaſio deducendum Univerſitatis Rector cum Scholaribus quinquaginta Bononiam profectus eſt: qui honor hac ætate, hiſque moribus, ne ipſi quidem, ſi reviviſceret, Triboniano haberetur. Quid quod ipſe quoque Jaſon paucis poſt annis revocatus eſt, & quidem aureis millenis, ut Jus Civile horis pomeridianis interpretaretur? Attamen rurſus diſceſſit, evocante Ludovico Sfortia, Mediolani Duce, ut Ticini doceret. Ad eam urbem auditorum ferme tria millia doctrinæ ſuæ fama traxiſſe dicitur; inter quos ipſe quoque Galliarum Rex Ludovicus XII. cum Cardinalibus quinque, & proceribus centum, ſcholæ ſubſellia ornare aliquando voluit.

Et quia Typographica ars multorum dumtaxat annorum ſpatio eo pervenit, ut principes artium ſcriptores, interpretes, enarratores, ad regionis cujuslibet atque hominum uſum vulgaret, ingens hoc erga Doctores *famoſos* juventutis ſtudium ſæculo quoque ab inventione altero duravit. Itaque anno MDXLV. poſtridie Kal. Octobr. Juriſtarum Rector Ferdinandus de Abdua Univerſitatis nomine ad Triumviros Litterarios has litteras dedit, ut eſt in Actis Cod. XXVII. *Uſque adhuc ſpes conducendorum Doctorum ad hoc Gymnaſium pro Scholarium commodo nobis fuit; attamen hæc longa expectatio induxit maximam dubitationem & incertitudinem, cum prope ſit tempus legendi, & nullus adhuc famoſus Doctor ſe nobis exhibuerit: & ob eam cauſ-*

cauſſam in dies & fere quotidie Scholares hinc ad alia Gymnaſia recedunt. Qua de re ſupplices rogamus exoramuſque Magnificentias veſtras, ut huic neceſſitati provideant, & totis viribus conentur aliquos famoſos Doctores conducere, ne Gymnaſium veſtrum deſtitutum remaneat.

Rurſus idem Rector IV. Idus Octobr. ita ſcripſit: *Gymnaſium veſtrum, clariſſimi Domini, Scholaribus nudum pene remanſit. Nam recedunt ad alia Gymnaſia. Qua de re ob maximam hujus rei molem auſi ſumus iterum Magnificentiis veſtris ſcribere, & ſupplices rogare atque exorare, ut ſolita ſua prudentia dignentur ad Jus Civile interpretandum in ſero conducere excellent. D. Hieronymum Purpuratum Juniorem, aut excellent. Caimum, ſeu quemcumque alium famoſum pro conſervatione hujus Gymnaſii* &c. Vix credibile videtur, quam multa moverent Gymnaſii Rectores ut Doctores *famoſos* undique accirent mercede quavis, ne ſe repente deſertos viderent. Illud quoque illis in mentem aliquando venit, cum vias omnes parandæ pecuniæ in hunc uſum conquiſiſſent, ut a Romano Pontifice ſubſidia peterent. Itaque anno MDLX. poſtridie non. April. Univerſitas Juriſtarum decretum fecit in hæc verba:

Magnificus D. Rector cum octo Conſiliariis, quatuor Ultramontanis, & quatuor Citramontanis, & duobus Bidellis petat Venetias ad Clariſſimos DD. Reformatores, nec non ad Sereniſſimum Principem Venetiarum, petiturus, ut ejus Serenitas dignetur committere Oratoribus ſuis ad Sanctiſſimum

Pontificem (ituri enim erant ad gratulandum Pio V.) *ut Senatus nomine pariter & Gymnaſii Patavini ejus Sanctitas velit auxilium & ſubſidium præſtare de aliqua pecuniarum ſumma pro ſalariis Doctorum legentium in Gymnaſio hoc, ut conducantur & retineantur famoſi Doctores pro honore & conſervatione hujus florentiſſimi nobiliſſimique Gymnaſii*. Verum Profeſſores ipſi, ut mos erat, per varias Academias vagari malebant, tum demum æquo animo morituri, ſi ſepulchro inſcribi poſſet, eos Italiam omnem docendo obiiſſe. Hinc omnes fere ad breve tempus conductiones. Tenuere aliquos uno in loco ſtipendia in immenſum aucta: ſed inventi ſunt etiam, qui variandi ſtudio abrepti, ſtipendia quælibet contemnerent. Quippe ingentis gloriæ loco ponebant, nulla ſtipendii conditione æquandæ, ſtudentium multitudinem ſecum trahere, iiſque Gymnaſiis frequentiam afferre, quæ ipſi præſentia ſua doctrinaque decorarent. Itaque Univerſitas hæc noſtra, pro Doctorum fama, modo Scholaribus referta fuit, modo inops, modo plane nuda; & cum plerumque caleret, interdum tamen frigebat. Quod autem de noſtra dico, id omnibus commune erat. Etenim ipſa quoque Pariſienſis, totius Europæ celeberrima & frequentiſſima, ita aliquando imminuta eſt, ut ſub finem ſæculi XV. quemadmodum ſcribit ejus hiſtoricus Bulæus T. V. pag. 852. *multis Scholarium millibus vix tot centuriæ reſponderent*. Conſtantiſſimi omnium apud nos Germani erant, quod præſertim Venetiarum emporio tribuendum videtur.

tur. Quandiu enim merces Orientis omnes ad eam urbem importari, & ex illa exportari trans alpes conſueverunt, ingens mercatorum ex ea gente multitudo, quæ Venetiis erat, ſimul illud efficiebat, ut Tranſalpina juventus in proximum Gymnaſium concederet; nec dilaberetur alio, ubi ſibi vitæ præſidia non ita facile ſuppeditari poſſent. Et quia ſic eſt hominum natura, ut rerum tractatione atque uſu eas ſibi conciliet, nec jucundas modo, ſed prope neceſſarias faciat, jam in Tranſalpinis regionibus percrebuerat, vix ullum ad humanitatem recte inſtitui, niſi Patavii inſtitueretur. Quare cum ageretur in Polonorum Comitiis anno MDLXXV. de Rege creando, multique eſſent candidati, iidemque Reges, vel Regiæ ſtirpis Pincipes, Maximilianus Imperator obtulit Erneſtum filium; nihilque excogitare gravius potuit ad favorem & ſuffragia eblandienda, quam ſi polliceretur, ſe Polonos adoleſcentes admodum centum ex ordine nobilium ad Patavinam Academiam ſuis impenſis miſſurum. Neque vero turba hæc Tranſalpina ſcholis frequentiam afferebat, quamvis Gymnaſio nomina daret; ſed plerique ad nos ventitabant, ut ea ſibi ad vitæ cultum ornamenta pararent, quæ nos hoc tempore ab iis petimus. Vix fidem inveniam, niſi ipſa Petri Buccii verba in medium afferam, qui anno ſcripſit MDLXXVI. de Henrici III. Galliæ Regis per has regiones itinere, pag. 137. *Non tutti, che anno nome di Scolari, e che vanno a Padoa, vi vanno, per iſtudiar lettere, maſ-*

ſimamente la maggior parte de' Franceſi ſtudioſi d' imparare a cavalcare, a ballare, e ad eſercitarſi nel maneggio di qualunque ſorta d' arme, e nella Muſica, e per ſaper finalmente i coſtumi e le creanze Italiane, delle quali ſono invaghiti, e più per ſimili altre virtù, che per cagion di lettere. Onde perciò ſi eleggono lo ſtudio di Padoa, come copioſo d' eccellentiſſimi Profeſſori in cadauna ſorta di virtù magnifica ed illuſtre.

Itali, ut antea dixi, Doctorum famam ſequebantur, ac propterea Gymnaſii fortuna ſemper in incerto erat. Ineunte ſæculo quartodecimo, cum Petrus Aponenſis doceret, Scholarium copia maxima fuit; procedente, varia; exeunte, pæne nulla. Sæculi XV. anno decimo & undecimo Univerſitas redundavit, ut eſt in Senatus conſulto MCCCCXI. idib. Octobr. *Poteſtas noſter Paduæ ſignificat, quod multi ſunt audientes Scholares, Prælati, & alii nobiles cum multis familiis; quod redundat ad utile & commodum noſtræ terræ*. At anno ſequenti paullatim reſedit, & magna repente in ſcholis facta ſolitudo eſt; ut ſcribit Gaſparinus Barzizius ad Franciſcum Zabarellam, & in ſuis Orationibus p. 20. & 64. Hac de re nuncii Patavini Venetias miſſi apud Senatum queſti ſunt, & quidem uſque adeo, ut anno demum MCCCCXX. Urbis Rectoribus poteſtas data ſit legendi quotannis ex Patavina Civitate nobiles viros quatuor, quorum opera & conſilio ad Gymnaſii inſtaurationem uterentur. Paullo poſt vires Gymnaſium recepit: ſed anno MCCCCXLIV. rurſus ita defecit ac deſertum

eſt,

eſt, ut ne ſuos quidem, niſi decretis & pœnis retinere Patavii Senatus poſſet. Circa ſæculum medium aucti Scholares ſunt ad octingentos, ſed poſt ſexennium decrevere ad trecentos, diuque intra modum hunc conſtitere. Id cauſſæ fuit, quamobrem ipſi quoque civitatis Decuriones anno MCCCCLXIII. bona Principis venia per omnem Italiam Oratores mitterent ad viros celeberrimos conquirendos, qui doctrinæ ſuæ fama Gymnaſii frequentiam & rem Patavinam augerent. Mirum! Quadriennio poſt tanta repente fuit in Gymnaſio frequentia, tantus diſcendi ac docendi ardor, ut Jacobus Leoneſſa Juris Canonici Profeſſor una cum Bartholomæo Cepolla Univerſitatis nomine ac ſumptu ſe ſe Venetias contulerint, ad Bacchanaliorum vacationes, quæ, ut nunc fit, longius trahebantur, intra dies decem coercendas.

Quid ſæculo proximo? Hoc vero litterarum & artium ſæculum fuit. Attamen anno MDXXV. Petrus Bembus ſcripſit ad Baptiſtam Rhamnuſium, Vniverſitatem Patavinam in deterius ruere; quod mirandum non eſt, infinita quadam malorum alluvie, bello, fame, popularibus morbis demerſa Italia. Idem ſcripſit anno MDXLIII. Jacobus Bonfadius ad Fortunatum Martinengum epiſt. XIX. & XXI. Attamen paullo poſt crevit uſque adeo, ut in Logica Tomitani ſchola auditores quadringeni quotidie ſederent, multique præterea ſtarent; Anatomicis autem exercitationibus amplius quingenti operam darent, ut eſt in Artium Actis, & apud Buccium p. 134. Ex quo

de Juris ſtudioſis, quæ potiſſima Gymnaſii pars habebatur, facile eſt ſuſpicari. Eo jam res devenerat, ut ſcholæ ipſæ nimis anguſtæ viderentur; & fuit etiam, ut ſtudentium turba conferriſſima Matthæum Gribaldum Juris Cæſarei Profeſſorem ex ſede ſua humeris ſublatum auferret, atque in capaciorem aliam, ubi eum poſſet audire commodius, exportaret. Ex Actis ad an. MDXLVIII. VIII. Kal. Majas.

At enim ea tempeſtate non deerat Typographica ars. Dicam rurſus, non potuiſſe typographos brevi tempore artium ſtudiis & ſtudentium commodo ſatis copioſe conſulere. Præterquam quod ſuus eſt etiam temporibus genius, quaſique fatum; & plus interdum mos valet, quam ratio. Sæculo ſextodecimo uſuvenerat, ut litteræ ac diſciplinæ in pretio eſſent; quod tale aliquid ipſi quoque Principes colerent, illoſque amplecterentur, quos ſibi adjumento fore ad hoc laudis genus exiſtimarent. Nulla erat Italiæ urbs, nullum oppidulum paullo cultius, quod non ſibi hac in parte placeret, ſuoſque præſtare doctrina vellet. Venetiis quidem tantus erat diſcendi amor, ut anno MDXX. juvenes ex ordine Patricio plus centum Collegium repente ingreſſi, petierint a Duce Leonardo Lauretano, ut ſibi magiſter daretur Egnatius. Datus eſt, auditoreſque habuit, ut eſt in ejuſdem Egnatii vita ex Petri Brichii teſtimonio; *quotidie ad quingentos, fortaſſis etiam amplius, & hi quidem etiam magna ex parte grandiores, & ex ordine Senatorio.* Ad Muretum autem, cum in ædibus doceret

Fra-

Fratrum Minoritarum, tam multi ex urbe tota conveniebant, ſi fides Riccobono lib. 4. de Gymnaſio, ut multitudinem vix caperet locus ampliſſimus. Sed, quia quæ more fiunt, mutari neceſſe eſt, tantus hic juventutis ardor paullatim deferbuit, donec prorſus extinctus eſt. Nihil igitur mirum ſi moribus illis Patavii quoque ſtudentium frequentia tanta fuit, quantam modo, Tomitano & Gribaldo docentibus, memoravi. Verumtamen identidem dilabebatur. Anno MDLXIV. Juris ſtudioſi in Gymnaſio plurimi erant, & quidem menſe Auguſto, ideſt vacationum tempore, ex natione Germana ducenti, ex Polona ſexaginta, ex Burgunda triginta ſex, ex Anglica decem, ex Provinciali duodecim, ex Tranſmarina viginti, ex Mediolanenſi ſexaginta, ex Genuenſi viginti, ex Etruſca quinquaginta, ex Illyrica ſex, ex Bohema tres, qui poſtmodum crevere ad XII. ex Romana quinquaginta, qui poſtmodum crevere ad LXXXXV. ex Si cula quadraginta, qui poſtmodum crevere ad L. ex Anconitana triginta, qui poſtmodum crevere ad LXXX. ex Longobarda centum, qui poſtmodum crevere ad CLI. ex Vicetina, ex Veneta, ex Tarviſina, quæ in vicinia ſunt, ideoque frequentiores, pro modo ſingularum. Ex Cod. Actor. XLVI. p. 2. Sed cum, mortuo Salerno Profeſſore celeberrimo, difficultatibus extracta Succeſſoris conductio eſſet, ſub novi curriculi initium repente ad paucos redacti ſunt. Id colligitur ex Univerſitatis litteris VI. Kal. Novembr. ad Magiſtraium miſſis, quibus rogat, ut Bonifacius

Ro-

Rogerius ad tempus ſubſtituatur, *donec conducatur Raynaldus* (Peruſii docebat) *vel alius excellens Doctor, ut lectura maxime neceſſaria non remaneat ſine concurrente: quod affert maximum incommodum & damnum huic Gymnaſio; quoniam ob eam cauſam multi Scholares ex hac Urbe diſcedunt, multi venire recuſant, & pauci, qui hic degunt, contriſtantur*. Graviores ſunt litteræ Petri Pinti Rectoris, anno ſequenti V. Kal. Junias ad Triumviros ſcriptæ, quibus declarat, Gymnaſium *ad nihilum redigi*. Poſtea nihil valuit ad priorem frequentiam reſtituendam; quamvis primum quidem per Subſtitutos Rogerium, & Manticam, deinde vero per Joannem Cephalum Profeſſorem Ordinarium ſcholæ conſultum eſſet. Etenim anno MDLXXV. III. id. Novembr. *conceſſa licentia eſt Bernardino Bidello Generali, non obſtante Statuto, ut poſſit laborare, & ligare libros: & hoc ſtante ejus inopia, & parvo numero Scholarium*. Non deerant profecto ea tempeſtate viri præſtantiſſimi, qui docerent; imo, ſi quando umquam, certe per ea tempora in Italiæ Gymnaſiis redundarunt. Sed, jam propagatis per typographos in quolibet litterarum genere operibus luculentiſſimis, & pretio in dies minore proſtantibus, cum domi quivis haberet unde diſceret, minime neceſſarium videbatur huc & illuc peregrinari, ut hominum vox exciperetur. Ne Iſocrates quidem Demonicum ſuum longa itinera ſuſcipere juſſiſſet, ut Philoſophos audiret, ſi divinum hoc typographicæ artis inventum in ea tempora incidiſſet. Id cum reputo, val-

de

de miror, ne nunc quidem deeſſe homines antiqua bonitate, qui diſciplinarum Profeſſores docere dictando cupiant. Quaſi vero in tanta librorum copia, qui communi judicio probati ſunt, & exigua parari pecunia poſſunt, dictata hominis neſcio cujus excipere præſtet, tempuſque auditioni deſtinatum ſcribendo fallere. Omnis jam, reperta typographia, docendi diſcendique ratio commutata eſt, non ſecus ac belligerandi, reperto pulvere igneo.

Ceterum, inclinante ſæculo, augeri ac celebrari Gymnaſium cœpit; jamque ſub ejus finem ſcholarium tria millia Patavii erant, ut refert oculatus teſtis Ingulſus de Comitibus. Sed hic quidem tumor fuit potius, quam bona & firma habitudo: ſiquidem paullo poſt defluxit, ut eſt in Diario Nicolai de Rubeis ad annum MDCII.

Quod ſi quis a nobis quærat, quæ ſit in præſens Gymnaſii frequentia, quidve ſperari in poſterum poſſit, ajo, affirmo, & confirmo, eam eſſe tantam, quantam Venetarum regionum conditio requirit; nec majorem pro temporum natura eſſe poſſe, nec umquam fore minorem. Ex quo enim Senatus decrevit, nulli hominum in Veneto Dominio Doctoris titulum bono eſſe, niſi in Patavinis Collegiis ſit acquiſitus, nec ſine Gymnaſii frequentatione acquiri poſſe, omnino neceſſe eſt, talem eſſe in hac urbe ſtudentium frequentiam, eamque perpetuam, qualem & medendi ratio & juriſdicendi in tota Veneta ditione poſcit. Fieri poteſt, ut annus

ac

aliquis non ita plenus ſit, ſed proximi dubio procul erunt uberiores; atque ita alternis pro rerum ac temporum diſcrimine.

SYN-

SYNTAGMA IX.

De Cauſſis & Controverſiis, quæ ad Patavinæ Univerſitatis Collegia afferuntur.

UNiverſitatis Patavinæ famam nihil eſt quod magis amplificarit, quam cauſſæ & controverſiæ, quarum diſceptatio & cognitio ad illam ex tota Europa olim deferebatur. Fere autem ad jus publicum Principum & populorum pertinebant; vel ita graves erant, ut licet in privatis verſarentur negotiis, hoc tamen quaſi Themidis reſponſo dignæ viderentur. Propoſitæ cum eſſent, ſtatim Juriſconſultorum, qui Collegium componebant, concilio convocato, quatuor eligebantur præſtantes viri, qui eas examinarent; & ſive convenirent, ſive diſſiderent, ad ordinem totum referebant, ejuſque tabellis judicium permittebatur. Placet ex multis, quæ deſcriptæ in Actis ſervantur, ad rei ſpecimen, unam memorare, quam anno ſæculi præteriti primo Maximilianus Rheni Palatinus, & Bavariæ Dux, ad Patavinam Univerſitatem tranſtulit. In Magica vertitur ſuperſtitione, hoc eſt in crimine utique atroci, exſecrando, deteſtabili, ſed tamen interdum, pro arcanis quibus obſcuratur, ita ambiguo, ut alii veneficium judicent vanitatibus obtectum, alii fallaciam putent ingenii verſuti ad quæſtum & errorem, nonnulli etiam captæ mentis

tis vitium exiſtimari velint: nequid de illis dicam, qui inter ludiorum præſtigias magicum omne artificium referunt. Quomodo puniri debeat, legibus conſtitutum eſt; quomodo autem cognoſci, & manibus teneri, non ita plane & aperte conſtat. Hoc enim ipſum, niſi fallor, ad ejus malitiam & calliditatem pertinet, qui *tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, dare operam, ne inſidiæ, quas hominibus tendit, in aperto ſint.

Paullus Papponerius cum uxore Mævia & tribus filiis, Gumperto annorum XXII. Jacobo annorum XX. & Cypriano annorum XI. ex pago quodam Noricorum in vincula ducti, multorumque criminum comperti, præſertim vero magicæ ſuperſtitionis, exuſti ſunt; Cypriano tamen prius in carcere baptizato, quem mater cum utero ferret, Dæmoni ſacraverat.

Quoſdam maleficii ſocios morituri indicarunt, inter quos Joannem Claſium textorem, & Annam cum filia Urſula, qui rite damnati eandem pœnam ſubierunt.

Inſimulatæ ſunt etiam fœminæ tres, Barbara, Sempronia, Maria, & in carcerem conjectæ. Tota controverſia de his eſt. Barbaram enim indicavit primum Jacobus Papponerius Paulli filius qui dixit, ſe bis eam vidiſſe in nocturno ſagarum conventu; deinde Claſius textor; tum Urſula Annæ filia, & Anna ipſa, quæ illud inſuper addidit, Barbaram filios duos cum peperiſſet, puerum anno MDLXXVII. & puellam biennio poſt, utrumque veneficiis ac devotionibus

in-

interemiſſe ; & quidem intra annum ætatis primum, ut eſt in more ſagarum.

Semproniam idem Jacobus indicavit, & Gumpertus frater: afferentes ſe eam vidiſſe in nocturnis ſagarum conventibus. Confirmavit eorum mater Mævia; addiditque, ſeptem ante annos ejus incantationibus magicis excitatam tempeſtatem fuiſſe, quæ ſegetes exuſſit; itemque mulierem gravidam ad abortionem ejus maleficiis compulſam periiſſe.

Mariam denique Jacobus Papponerius, Anna, & Urſula ejus filia ſe vidiſſe affirmarunt inter ſagarum cœtus nocturna ſolemnia celebrantem.

Atque hæc indicia primum inter quæſtionis tormenta facta ſunt, poſtea vero ad judicum ſubſellia confirmata.

Miſſi ſunt igitur Patavium qui quærerent primum, utrum indicia hæc ſatis gravia fuerint, ut fœminæ in vinculis haberentur; & utrum detineri tamdiu debuerint, dum ſe de criminibus purgarent. Tum de eo quoque conſultum Collegium eſt, utrum pro ratione criminis, quod a Theologis & Juriſconſultis inter crimina excepta numeratur, ex plurium judicio, qui tamen nec loci, nec temporis meminerunt, fœminæ nulla ſuſpicione diffamatæ torqueri poſſent. Et quia fœminæ iſtæ multis exceptionibus accuſationes repellebant, & advocatos poſtulabant, hinc ortæ quæſtiones aliæ admodum triginta duæ, quibus ſingulis reſponſum a Collegio eſt.

I. Utrum plurium indicia ſine cauſſis aliis ſatis valeant ad eos torquendos, qui ſunt indicati.

II.

II. Utrum indicantis inimicitia, quæ infirmat indicium, probari debeat per duos teſtes, an ſatis ſit ad infirmandum, ſi præſumatur, vel probetur per teſtem unum.

III. Utrum capite damnati, cum alios indicant, pœnitentiæ ſigna dediſſe debeant, ne odio aut animi levitate indicare cenſeantur; quamvis ſagarum pœnitentia rariſſima ſit.

IV. Utrum illa omnia, quæ requiruntur in Conſtitutione Carolina XXXI. ad habendam quæſtionem de magiæ ſuſpectis ex indicio unius, requirantur etiam ubi plures indicant.

V. Utrum in criminibus exceptis, cujuſmodi eſt ſagarum maleficium, infami credendum ſit perſonam indicanti famæ integræ. Quid ſi infames, qui indicant, plures ſint?

VI. Utrum in criminibus exceptis, qui a pluribus probroſis & infamibus indicatur, trahi poſſit ad quæſtionem, quamvis ipſe ſit fama integra.

VII. Utrum quis interrogari per quæſtionem & tormenta poſſit, ſi plures afferant, eum in ſagarum conventibus fuiſſe, quamvis nemini nocuerit.

VIII. Utrum de illo, qui accuſatus a pluribus eſt, quod ſagarum conventus frequentarit, ſine ulla loci vel temporis ſignificatione, haberi quæſtio poſſit.

IX. Utrum in crimine hoc & ſimilibus exceptis admittantur teſtes ſingulares de circumſtantiis, qui tamen omnes de rei ſubſtantia & effectu inter ſe conveniant: tum etiam utrum iſtiuſ-

iſtiuſmodi teſtimonia, ſi plura ſint, ſatis ponderis habeant ad reum torquendum.

X. Utrum, cum plures ſunt indicantes, requiratur ad fidem, ut quilibet eorum inter quæſtionem confirmet, an quæſtio neceſſaria ſit dumtaxat in unius indicio.

XI. Utrum in criminalibus cauſſis unius teſtimonium mulieris ſit admittendum: utrum ex duarum mulierum teſtimonio torqueri aliquis poſſit: utrum condemnari.

XII. Utrum mulierum delationes & indicia ex eo majorem fidem faciant, quod nihil ſit in virorum dictis, unde infirmentur.

XIII. Utrum plurium minorum delatio ſatis habeat ponderis & fidei ad quæſtionis tormenta exercenda.

XIV. Utrum veriſimilitudo criminis, quod ab unius delatione pendet, ſatis valeat ad torquendum reum.

XV. Utrum qui ſocium indicant magicæ ſuperſtitionis, ſi ipſi aliis criminibus ſint implicati, ſatis idoneum ad quæſtionem & tormenta indicium faciant, præſertim cum plures ſunt.

XVI. Utrum indicantis pœnitentia & revocatio extra judicium facta ita infirmet delationem judicialem, ut non amplius torqueri reus poſſit.

XVII. Si nulla inſtrumenta magica inveniantur apud reum, utrum delatorum fides ita infirma ſit habenda, ut tormentis locus non relinquatur.

XVIII. Utrum leviora indicia in criminibus

exceptis ſufficiant ad quæſtionem habendam: tum quæ indicia revera ſufficiant.

XIX. Utrum judex in criminibus atrocioribus & occultis promptior eſſe debeat ad torquendum.

XX. Utrum in crimine, de quo agitur, perſonæ dignitas eximat a tormentis.

XXI. Utrum in criminibus atrocioribus gravior de reis habenda ſit quæſtio, quam in aliis: & cum ſagæ plerumque pervicaces ſint, & maleficio ad ſilendum obduratæ, quodnam ſit hoc in crimine tormenti genus opportuniſſimum.

XXII. Quoties poſſit in quolibet judicio torqueri reus, & quamdiu in tormentis detineri.

XXIII. Ad ſummam quinam ſit quæſtionis modus pro varietate criminum adhibendus.

XXIV. Num judex poſſit quæſtionem inceptam intermittere, & poſt dies aliquot repetere.

XXV. Quid ſentiendum ſit de infuſione aquæ frigidæ in tergum rei, qui fune torquetur.

XXVI. Cum ſagæ pervicaces & obſtinatæ eſſe ſoleant, utrum, & quando repeti tormenta poſſint; non quidem ex novis indiciis, quod extra controverſiam eſt, ſed ex iis, quæ jam per quæſtionem primam purgata videntur.

XXVII. Utrum jure ac legibus nitatur quod vulgo ferunt, neminem ultra tres vices interrogari per tormenta poſſe; & num die uno trina hæc quæſtio haberi debeat, an pluribus. Quid ſiquis tot criminum poſtuletur, quorum examen die uno abſolvi nequeat?

XXVIII. Utrum locorum conſuetudines in torquendi modo ſequendæ ſint.

XXIX. Num torquendi modum & rationem judex ſuperior inferiori præſcribere poſſit.

XXX. Utrum in criminibus atrocioribus & exceptis dandum ſit reo actorum exemplum, an ſatis ſit indicia illi coram judice aperire.

XXXI. In criminibus atrocioribus concedendi ne ſint reo advocati, quorum fiducia audacior fiat ad negandum.

XXXII. Utrum collatio ſagarum, & interrogatio unius coram altera, utilis ſit ad earum maleficia detegenda, & purganda indicia.

Quivis, opinor, intelligit, quanti negotii ſit, tot quæſtionibus, nec ſane de medio ſumptis, facere ſatis. Attamen, quod uſuvenerat, Collegii Patres pro ſua gravitate & ſapientia ſingillatim reſponderunt. Et ne longum faciam ſumma reſponſi fuit, in nullo crimine, quantumvis gravi & occulto, communem judiciorum ordinem prætereundum eſſe: quoties de fortunis & capite agitur, non eſſe levibus aut obſcuris probationibus locum: in criminibus exceptis augeri pro illorum modo pœnas poſſe, non tamen legibus, aut naturæ injuriam facere licere, vel miſſo, vel imminuto probationum examine: ceterum ubi de ſcelere agitur vel in Deum, vel in Principem, ſolemnia quædam, quæ ex forenſibus formulis & ſola conſuetudine pendent, præteriri debere.

Nunc cauſſæ potiſſimum Catharenſes ad Patavinum Juriſconſultorum Collegium afferri ſolent, ubi ex deditionis pacto cum Venetis inito, & peculiari ejus civitatis jure, ſupremo

judicio definiuntur. Undecunqne veniant, videndum eſt, utrum de Juriſdictione agatur. Nam cauſſæ iſtiuſmodi recipi nequeunt, niſi petita a Principe venia, ex Triumvirali decreto anni MDCXI. VII. id. Januar.

Reliqua Collegia duo curæ hujus fere expertia ſunt. Quamvis enim Medici noſtri multo conſulantur frequentius, quam Juriſconſulti, attamen ſingulis potius creditur, quam univerſis. Theologorum autem Collegium & tardius inſtitutum eſt, & vel florentiſſimis Gymnaſii temporibus ita fuit anguſtum, ut anno MDXXXVII. III. Kal. Maj. tres tantum magiſtri inventi Patavii ſint, qui pro Collegio agerent. Nunc ordo hic floridiſſimus eſt, Patreſque continet amplius centum: ex quo fit, ut ipſe quoque conſuli incipiat. Anno enim MDCCXXII. cum in Romana curia quæreretur de virtutibus Fr. Sebaſtiani ab Apparitio ex Minoritis, cognomento Pyrauſtæ, ut in Cælitum album referretur; & pro negotii gravitate aliquid incidiſſet non ſatis planum atque explicatum; adhibita eſt in conſilium, præter Sorbonicam, & Salmaticenſem, Univerſitas Patavina.

Vixerat Pyrauſta uſque ad annum ſexageſimum ſumma vitæ integritate atque innocentia. *Id* ætatis cum eſſet, puellam uxorem duxit; ſed ita tamen, ut ſervato, ſi fieri poſſet, virginalis continentiæ propoſito, cuſtos potius & pater, quam maritus, vitæ ſociam atque adjutricem haberet: eaque intra annum defuncta, alteram ſtatim eadem conditione ſibi adjunxit. Cum utraque continentiſſime egit: & cum ſecundam quoque cito amiſiſ-

amiſiſſet, religioni ſe addixit; obiitque ſanctitatis fama & miraculis clarus. In dubium vocabatur, num duo hæc connubia ex Chriſtianæ prudentiæ legibus inita dici poſſent ad virtutem heroicam exercendam. Et cum ſententiæ variaſſent, alii quoque Theologi extra Urbem conſulti ſunt. Scripſere ex noſtris de re hac, jubente Collegio, Fr. Hiacynthus Serry Theologus Thomiſta, Fr. Nicolaus Buico Theologus Scotiſta, & Presbyter Michael Verrius Logicæ Profeſſor. Ac primus quidem nihil in iis matrimoniis prudenter actum cenſuit; alter virtutem agnovit, non tamen heroicam; tertius matrimonium utrumque ſummis laudibus extulit, & Eccleſiæ honoribus dignum affirmavit. Collegii Patres ſpecioſa ſecuti ſecundum Verrium pronuntiarunt.

Locus monet, ne rem diſſimulem, ex qua intelligitur, tantam eſſe hominum fraudem, tamque ingenioſam, ut in ſanctiora quælibet per latebras irrumpat, fidemque ipſam publicam in diſcrimen adducat. Cum Angliæ Rex, inter Henricos Octavus, divortium cum Catharina uxore facere vellet, fruſtraque Pontificis animum & conſtantiam pertentaſſet, multas de re hac Univerſitates conſuluit, artibus omnibus adhibitis, quæ tanto Regi deeſſe non poterant. Ejus nationis hiſtoricus Burnetus Patavinam quoque in ſcenam vocat; noſtrumque hoc Theologorum Collegium, cujus caput Epiſcopus eſt, Regi obſecutum affirmat, actis etiam neſcio quibus & monumentis prolatis. Negari non poteſt, Crookium quen-

dam, ut Regi gratificaretur, Italiæ civitates obiiſſe, in quibus Gymnaſia eſſent; multoſque coemiſſe cœnobitas, ut in ſuis litteris ad Regem datis fatetur, Bononienſes, Ferrarienſes, Patavinos, qui matrimonium, Apoſtolica Julii II. facultate viginti ante annis celebratum, *exſecrandum ac deteſtabile* vocitarent; tabulaſque ſignarent anno MDXXX. ſi revera ſignarunt, ſuis Univerſitatibus, & Romano Pontifici illarum auctori ac patrono indecoras & contumelioſas. Ad noſtros quod attinet, illud certum eſt, nec in publicis actis, quæ adhuc manent, extare veſtigium ullum, & vetitum fuiſſe Veneto decreto, quod Burnetus ipſe memorat, nequis alterutram in partem de re hac ſententiam diceret. Attamen iſtarum tabularum fides & Collegii Theologici ſigillo, & publici tabellionis Alexandri Savioli manu, & Patavini Prætoris teſtificatione, & Veneti Ducis nomine atque auctoritate in Diplomatica Thomæ Rymeri Collectione firmatur. *Μέμνησο ἀπιστεῖν.*

SYN-

SYNTAGMA X.

De Gymnaſii Patavini Collegiis ad recipiendos alendoſque Scholares inſtitutis.

QUanta eſſet ſuperioribus ſæculis juventutis recte inſtituendæ cura, illud vel in primis oſtendit, quod egenis multarum civitatum adoleſcentibus extructa Patavii Collegia ſunt, boniſque ditata: ne quid in eos, qui proficere in litterarum ſtudio vellent, fortunæ liceret. In quo majores noſtri Alexandri Severi exemplum ſecuti ſunt, Principis *optimi*, ut ait Lampridius in ejus vita, *& cunctis hominibus amabilis*, qui Doctoribus ſalaria, diſcipulis autem egentibus annonam dari juſſit. Pars hæc ſtudentium non ſane exigua, niſi dilapſa jam eſſet, plurimum conferret ad ſcholarum frequentiam & celebritatem. Neque vero Curotrophiis iſtis defuere cuſtodes, patroni, præſides, adminiſtri: ſed pleraque per hos ipſos perdita ſunt; nullumque conſilium temporum injuriæ, atque hominum cupiditati, imperioſæ dominæ, reſiſtere potuit. Idem fuit olim Univerſitatis Pariſienſis infortunium, eædemque infortunii cauſſæ, ut in ejus Hiſtoria narrat Bulæus T. V. p. 350. Jam ex noſtris alia reditus amiſerunt, alia domum quoque: pauca autem quæ ſuperſunt, ſi unum & alterum excipias, vix leve quoddam ſuæ magnitudinis veterumque commodorum veſtigium ſervant. Piget, qualia fuerint, referre; nec ut certa omnia referam,

idoneos auctores habeo. Attamen ne rei tantæ memoria pereat, neu ſit fabulis locus, quarum multæ data opera circunferuntur, ſingula attingam; & quidquid comperti erit, fideliter peragam. Ita enim fore ſpero, ut qui plura tenet, ubicunque terrarum ſit, aut proferat, aut indicet. Ceterum nemini ego dicam ſcribo. Fateor, ipſa neceſſitate naturæ mutari omnia. Alii rerum domini, alia monetæ ratio, alius victus & cultus, alii mores, etiam ſine hominum fraude, novam rebus faciem inducere potuerunt. Qui Collegia hoc tempore moderantur, eorumque bona adminiſtrant, certe agunt fide bona; nec eorum culpam præſtare debent, qui vel incuria, vel etiam fortaſſe malitia aliquando nocuerunt. In hac rerum humanarum viciſſitudine tum bona, tum mala ex intervallo recurrunt. In poſterum Dii meliora.

Collegium Tornacenſe.

Antiquiſſimum eſt ex collegiis Tornacenſe, Principum Carrarienſium auſpiciis ortum. Anno MCCCLXIII. Petrus de Boateriis Bononienſis, Muriani incola, XI. Kal. April. facultatem petiit & obtinuit a Franciſco ſeniore Patavii Domino, emendi bona in ditione ejus ad ſummam trium aureorum millium; ut domus & Collegium adoleſcentibus egenis pararetur, qui litteris ac diſciplinis in hoc Gymnaſio operam darent. Triennio poſt apparet Collegium inſtitutum & ordinatum fuiſſe in vico Vinealium, apud Puteum

teum Campionis, ſub nomine ac præſidio S. Mariæ de Tornaco, curante Albicio de Brancaſiccis Lucenſi, Canonico Tornacenſi prius, dein Tarviſiano, Conradi filio, ad quem Boaterius rei arbitrium tranſtulit. Extant etiam nunc tabulæ anni MCCCLXVI. IV. id. Febr. quibus prædia empta ſunt argenteis Venetis bis mille ſexaginta, apud Bonincontrum Abbatem S. Cypriani de Muriano eo nomine depoſitis. His prædiis atque aliis tum ab Albicio relictis, tum Collegii pecunia ſubinde acquiſitis Franciſcus junior Carrarienſis anno MCCCXCV. IX. Kal. Octobr. immunitatem tribuit, quam Venetus ſenatus ſæculo proximo rerum potitus confirmavit. Ex eodem Carrarienſis indulgentiæ monumento colligitur, centum aureos, præter ſummam modo memoratam, ad Collegium legati nomine perveniſſe, bonis immobilibus emendis deſtinatos. Pridie id. Octobr. anni MCCCLXVI. leges primæ ad inſtitutoris placita conditæ ſunt ab eodem Abbate S. Cypriani, & Pileo de Prata Epiſcopo Patavino, Curatoribus perpetuis; quibus legibus tota Collegii adminiſtratio continetur. Ex his conſtat, Alumnos VI. recipi atque ali debere, Patavinos duos, Tarviſianos item duos, totidemque Ferrarienſes, qui per annos ſinguli ſeptenos Juri Canonico ſtudeant, & ex Curatorum interpretatione etiam Civili. Excluduntur naturales, matrimonio juncti, & quibus majus patrimonium eſt florenis annuis vicenis. Sed poſtrema hæc conditio anno MDXXXVII. laxata eſt Curatorum providentia ad tricenos. Jus eligen-

gendi voluit Inſtitutor penes S. Cypriani Abbatem eſſe, cujus nomen & jura ad Venetiarum Patriarcham poſtea devenere; approbandi autem & recipiendi penes Epiſcopum Patavinum. Facultatem porro illis conceſſit addendi, pro modo redituum ex pecunia occupanda, quæ ſupererat, Alumnos binos ex Tornacenſi Diœceſi, vel ex alia quavis, ſi nullus adſit Tornacenſis idoneus. Hæc quoque conditio, auctis Collegii bonis, paullatim ita producta a Curatoribus eſt, ut jam, exeunte ſæculo ſexto decimo, Alumni XII. eſſent. Prudentiſſimum ex his præfici ab Epiſcopo reliquis juſſit; ejuſque curæ ac fidei internam Collegii adminiſtrationem committi, ſacramento interpoſito. Is in actis Collegii Rector & Præpoſitus vocatur: modo autem gratis operam ſuam navare dicitur, modo mercedula annua nummum argenteorum V. quos ducatos Venetos vocant. Adjecit famulum, miniſtrum, & negotiorum geſtorem, qui in Actis modo Prior, modo Procurator, modo Agens, modo Factor, modo Gubernator appellatur. Mandavit, ut ſuum cuique cubiculum, lectuluſque eſſet; cetera omnes ſimul viverent, diſtributis per totum diem horis, quas communi menſæ, ſtudio, ac divinis precibus darent. Ingreſſus nomine nihil exigi voluit: attamen anno MCDXLVIII. IV. id. Octobr. Curatores decreverunt, ut Alumnus quilibet, cum primum ingrederetur, ſolveret argenteos octo; quæ pecunia ſartis tectis præſtandis impenderetur, nec ad alios uſus averti poſſet. Non eſt omittendum anno MCDLXXXVI.

XVII.

XVII. Kal. Jan. Nicolaum Francum Epiſcopum Tarviſianum, cum Legatus Apoſtolicus eſſet poteſtate Cardinalis a latere, exſecrationis pœnam indixiſſe admittentibus, & admiſſis in Collegium hoc, atque adeo etiam in Pratenſe, de quo mox dicam, non habita ratione nationum; quæ pœna non aliter remitti, quam Pontificis auctoritate poſſet. Iiſdem diris devovit Alumnos illos, qui locum ſibi largitionibus quæſiſſent, aut ſupra numerum eſſent, & ex bonis Collegii viverent. Credibile eſt, id factum ab illo non ſine cauſſa.

Omnes porro clericalem habitum ferre debent ex Curatorum conſtitutionibus, & more vivere clericorum.

Hoc tempore non levis, pro rerum humanarum conditione, facta mutatio eſt. Etenim Alumni X. ſunt ſine patriæ diſcrimine promiſcue recepti; & ex poſtremo Patriarchæ Corrarii decreto Gradus ſcholaſticos & Lauream adipiſci debent, ſuffectis etiam in Juriſprudentiæ locum Theologicis ſtudiis, ſi cui magis placeant. Tertia anni parte Collegii beneficio carent; quibus autem menſibus in eo degunt, nudum cubiculum habent. Ceterum communi menſa utuntur, collata ab unoquoque ſymbola, præbitiſque a Collegio lignis, ſale, & aceto. Hoc nomine contribuuntur ſingulis frumenti ad menſuram Patavinam ſextarii octoni, totidemque vini cadi, & nummum libellæ Venetæ CXX. in menſes octo æquis portionibus diſtributæ, præter aureum Venetum, quo æſtivis nundinis donantur. Nemo

au-

autem in loci poſſeſſionem venit, quin ſtatim ſolvat argenteos quindecim; quorum decem utenſilibus tuendis deſtinati dicuntur, quinque autem Alumnis ipſis, quorum ſocietatem init, ſtrenæ titulo dividuntur. Ex eorum numero pro Abbatis arbitrio Præfectus eligitur, qui ſodales, ubi opus ſit, officii ac diſciplinæ moneat. Sed præeſt omnibus gravis quidam ſacerdos, qui Gubernator dicitur; eique annuum conſtitutum honorarium eſt argenteorum LXX. Quod ſi ſuis impenſis extra Collegium degat, habet præterea frumenti modios quotannis binos ad rationem menſuræ Patavinæ, vini cados XXIV. & munuſcula de more. Eadem hæc famulo præbentur, qui ſupellectilem cuſtodit, totiuſque rei cibariæ curam habet; ſalarium autem paullo majus, argentei videlicet centeni, præter horti uſum, partemque ædium, quæ ipſi, uxorique ejus, quandoquidem id quoque indulgetur, liberiſque ſufficiat. Vulgo creditur, nec deſunt auctores ſæculi ab inſtitutione proximi, Albicium ære ſuo Collegium condidiſſe; cum ex iis, quæ diximus, ſatis manifeſtum ſit, principem Collegii auctorem Boaterium fuiſſe, qui tamen Albicii fidei rem totam commiſit.

Collegium Jacobi de Arquado.

MCCCXC. Exemplum ſequutus Magiſter Jacobus de Arquado, Artium ac Medicinæ Doctor, cum inſtituere Collegium decreviſſet ex bonis ſuis, ſub nomine & auſpiciis SS. Jacobi

&

& Joannis, ad alendos adoleſcentes egenos, qui Philoſophiæ ac Medicinæ operam darent, hoc anno VII. id. Novembr. obtinuit a Franciſco Carrarienſi civitatis Domino, ut domus & prædia Collegii omnia, tum acquiſita, tum acquirenda immunitate gauderent: quæ immunitas confirmata eſt Veneti Senatus decreto anno MDXXIII. VII. Kal. Septembr. Extructæ ædes ſunt in vico S. Catharinæ quadriennio poſt: quo anno Jacobus deceſſit, juſſitque Collegii ſui, quamdiu ſtaret, Alumnos eſſe X. iiſque omnia ad victum præberi, ſingulis per annos ſeptenos. Scribit Ingulfus de Comitibus, Patavinos beneficii hujus expertes eſſe, idemque confirmat Antonius Roſatus, Bidellus Artium Generalis, qui de urbe hac & Gymnaſio ſcripſit ſub initium ſæculi decimi ſeptimi. Cura commiſſa eſt Petro Bragadeno, & Franciſco de Medio, Patriciis Venetis, hæredibus & curatoribus; a quibus poſtea tranſiit ad Contarenos, porro autem ad Molinos. Atque iſti quidem hoc tempore quinos tantum Alumnos admittunt, quibus præbent argenteos Venetos ſenos, & frumenti ſextarios Patavinos XVIII. in annos ſingulos per quinquennium. Cæterum nemo quærit, cujus nationis, aut ætatis ſint; ubi habitent; num colant, aut quas colant diſciplinas. Collegii Cuſtos habet frumenti modios binos ad menſuræ Patavinæ rationem, & fruitur plerumque domo tota. Cum Roſatus ſcriberet, adhuc alumni decem erant, qui in Artibus exercebantur; ſingulique præter ea, quæ diximus, vini cados ſenos habe-

bebant, uſum ædium, ſervos, & ſal per annos VII.

Scholares Cyprii ex Garphani inſtitutione.

MCCCXCIII. Petrus de Garphano Nicoſienſis, nobili loco natus, in patria paucis ante diebus quam vita excederet, teſtamentum fecit, juſſitque, ut ex quinis ducatorum aureorum millibus, quam pecuniam Venetiis collocaverat per Marcum Faletrum rei hujus procuratorem, quatuor adoleſcentes Cyprii in ſcholis Patavinis perpetuo inſtruerentur, aſſignatis in capita, quamdiu Patavii eſſent ſtudiorum cauſſa, aureis quinquagenis. Primum ex his ſacræ Theologiæ magiſtrum & Doctorem fieri voluit, alterum Juris Civilis, duos reliquos Artium ac Medicinæ. Probatum a Principe legatum eſt, & in acta *Procuratiæ de ſupra* relatum anno MCDVII. Electio primis temporibus, quemadmodum teſtator mandaverat, penes tres fuit ejus conſanguineos, & Præſidem Cyprium S. Mariæ de monte Carmelo. Nunc, occupata a Turcis inſula, ad Divi Marci Procuratores pertinet, qui in ſumptum quotannis erogant. Ceterum pro hodierno inſulæ ſtatu Cyprius, qui Patavii ſtudeat, nullus eſt.

Collegium Pratenſe.

MCCCXCIV. Franciſco Foſcaro, qui poſtea Dux Venetiarum fuit, Gymnaſii Rectore, Pileus Comes de Prata, primum Epiſcopus Patavinus,

nus, poſtea Ravennas, poſtremo Tuſculanus, & Cardinalis, Collegium inſtituit ſub auſpicio & præſidio SS. Hieronymi & Proſdocimi, domumque ejus gratia in vico S. Margaritæ impetravit a Franciſco Carrarienſi Civitatis Domino. Facto autem poſt annos quinque teſtamento, duas ſuorum bonorum partes eodem pertinere juſſit, ut ex eorum fructu annua præberentur adoleſcentibus XX. ex nationibus quatuor, Veneta, Patavina, Tarviſiana, Forojulienſi, qui ſacris ſtudiis operam darent per annos ſinguli ſeptenos. Sed illi, quibus negotium ſupremis tabulis mandatum eſt, maluerunt ædes extruere e regione Baſilicæ Antonianæ, in quibus Alumni Collegii hujus, quod anno demum MCCCCXX. apertum eſt, commodius habitarent. Leges quoque condiderunt, quæ poſtea typis editæ ſunt.

Hoc tempore partim abſumptis, partim attritis hæreditatis bonis, Alumni non recipiuntur plus XVI. ſiquidem ſint ex quatuor nationibus, qui beneficio uti velint, quod contractum eſt ad quinquennium. Unus ex his præfici aliis ad noſtram uſque ætatem conſuevit, attributis ſive præmii, ſive mercedis nomine, argenteis annuis V. Olim ad victum nihil deerat: nunc autem tectum habent, culinæ uſum, & nummulos paucos, qui bis in anno præſentibus diſtribuuntur. Additum eſt etiam a Curatoribus onus Laureæ adipiſcendæ, & in Statutorum codice perſcriptum: ſed non exigitur. Cura & arbitrium omne penes Epiſcopum eſt, Collegii Juriſconſultorum Præſidem, & Patricios Patavinos

duos,

duos, ſuarum familiarum ſeniores, Leonium, & Zabarellam. Ceterum nec famulus deeſt, nec Scriba, nec Diſpenſator, nec Medicus, nec Cauſſidicus, nec Ædituus, qui rem ſacram diebus feſtis in Collegii ædicula faciat. Huic honorarium argenteorum vicenorum conſtitutum eſt a primis uſque Collegii temporibus: ſed anno MDCCXXIX. IV. Kal. Septembr. Curatorum decreto auctum eſt ad quadragenos, addito onere præfecturæ ſuſtinendæ, quæ uni ex Alumnis, ut ante dixi, mandari conſueverat.

Scholares Auximani.

MCCCXCVII. Joanne Naſone Canonico Pragenſi, & Matthæo de Raguma Raguſino, Gymnaſii Rectoribus, Magiſter Andreas, Andreæ Recinetenſis filius, cum Auximanæ Civitatis ſubſidio ſtudiorum curſum Patavii peregiſſet, probatus in Artibus, Lauream que adeptus Venetiis medicinam exercuit, multaſque opes ſibi comparavit. Harum omnium hæredem Venetam ipſam Rempublicam inſtituit, addito onere ſolvendi quotannis aureos quinos & vicenos adoleſcentibus quatuor Auximanis, qui in Patavino Gymnaſio ſinguli per annos denos Philoſophiæ ac Medicinæ operam darent. Deficientibus Auximanis, beneficium ad alios transferri voluit iiſdem facultatibus addictos. Nunc duo Scholares ſunt, Auximi cives, quibus annui præbentur argentei centeni viceni ex ærario *Procuratiæ de citra*;

uec

nec illis noxæ eſt, ſi forte malint inter Juris ſtudioſos cenſeri.

Collegium Ridium.

MCCCXCVIII. Franciſco a Menla Valentino ex provincia Aragonenſi, & Joanne Fuſuda Rhegienſi ex Calabria, Gymnaſii Rectoribus, Nicolaus Ridius Patavinus, Artium ac Medicinæ Doctor, Collegium inſtituit, quod ſeptem poſt annos Daniel Ridius Juriſconſultus teſtamento confirmavit, ad Vaccæ puteum, in quo adoleſcentes Patavini VI. Artium ac Medicinæ ſtudioſi alerentur per annos ſeptenos. Præter tectum, panem, & vinum ſingulis tribuit Venetos argenteos duodenos; quæ ſumma illis temporibus ad obſonium totius anni ſatis erat: eligi autem voluit a quinque Artium illiberalium Gubernatoribus, ſed probari & recipi a ſeniore ex hæredibus ſuis. Rem frater uterque duobus ex Collegii medici ſenioribus commendavit; quibus Collegium ipſum anno MCDLI. IV. non. Jan. decreto ſuo tertium addidit. Nunc alumni quini ſunt, nec niſi quinquennii beneficio utuntur: & victum quidem integrum a Collegio habent, non tamen ultra ſemeſtre curriculum. Rectori, qui ſacerdos eſt, annui præbentur argentei XII. frumenti modius Patavinus duplex, muſti cadi X. & lignorum quod ſatis ſit in menſes VI.

Collegium Ludovici Curtoſii.

MCDXII. Bartholomæo de Torculis, & Antonio Rhodienſi, Juriſtarum Rectoribus, Ludovicus de Curtoſiis, Joannis filius, civis Patavinus, Juris Civilis Profeſſor, teſtamento Kalendis Februariis ſcripto, domum ſua pecunia emptam in vico S. Bartholomæi ad Collegii uſum converti juſſit, ut in eo adoleſcentes VIII. Juris ſtudioſi, qui pauperes eſſent, perpetuo alerentur. Hanc in rem prædia legavit, quorum reditus expenſis omnibus ſatis foret. Sed nihil eſt actum. Sexennium enim huic inſtitutioni ſupervixit; jamque in ipſo teſtamento caverat, ut, ſi ſibi mares naſcerentur, Collegium nullum eſſet. Hic ille eſt Curtoſius, ſeu Cortuſius, qui, dum viveret, eam ſibi famæ celebritatem peperit, ut *Juris Conditorium* cognomento perhiberetur: mortuus autem ſermunculis occaſionem dedit, quod funus ingenti pompa ad omnem lætitiæ ſpeciem inſtructa ſibi celebrari voluerit. Modum tamen lætitiæ hujus alii aliter narrant, quamvis illi ipſi, qui narrant, vel æquales ejus fuerint, vel ex teſtamenti verbis ſe ſcribere profiteantur. Ceteris ineptiis illud quoque adjiciunt, a funeris comitatu excluſos fuiſſe Eremitanos Cœnobitas, *ne*, inquit Riccobonus, *nimio illo cucullorum nigrore exſequiarum hilaritatem funeſtarent*. Ego quoque teſtamentum vidi, &, niſi fallor, autographum ipſum: ſed in re tantula quid veri ſit, parum refert.

Col-

Collegium Belfortis Spinelli.

MCDXXXIX. Matthæo de Corbinellis Juriſtarum Rectore, Belfortis Spinellus Epiſcopus Caſſanenſis, Juvenatii nobili loco natus, filius Nicolài, qui, inclinante ſæculo quartodecimo, in ſcholis Patavinis Juriſprudentiam profeſſus eſt, hoc anno pridie id. Auguſt. teſtamentum fecit. Cum autem Patavii in vico Pontis Curvi ad Puteum Campionis, duas haberet domos, ex iis ædificari Collegium juſſit, ſuaque omnia in hunc uſum converti; ut, ſi forte filius aliquis Antonii Galeacii, nepotis ſui ex Luca fratre, adjicere animum ad litteras vellet, hoc beneficio una cum ſuis tota vita uteretur. *Volo*, inquit, *ex illis domibus ædificari unum Collegium & dicto Collegio volo applicari omnia mea bona, mobilia, ſtabilia, & ſe moventia: & inſtituo dictum Collegium hæredem meum cum iſtis conditionibus & modis, quod ſi eſſet aliquis de filiis Antonii Galeacii Spinelli, filii quondam magnifici viri Lucæ Spinelli fratris mei, qui vellet ſtudere & ſcientiam ſequi, volo quod, vita ſua durante, percipere poſſit emolumenta dicti Collegii, & teneatur ſecum ducere de ſervitoribus ſuis, & vaſſallis, & ſubditis patris ſui, vel de aliis, ut ſibi, & patri placeret, qui ſimul cum eo ſtudere debeant.* Inde hoc ipſum ad filios filiorum propagari in perpetuum voluit, tum ad cognatos, conſanguineos, & affines, hiſque deficientibus, ad clientes & amicos, aliove quovis titulo Spinellorum no-

mini hærentes, pro arbitrio ſenioris ex agnatis, quem Collegii dominum & patronum conſtituit. Eodem pertinere voluit novem argenteorum millia, nongentos nonaginta novem, quos Venetiis collocaverat apud *Sexterios* (ita vocant ſex civitatis partes) D. Marci, & D. Paulli; ut ex annuo hujus pecuniæ fructu Collegium ſuſtentaretur. Et quia redituum ſumma excedere videbatur, addi placuit presbyteros duos, qui Juri Canonico, & laicos item duos, qui Civili ſtuderent, ab illo ipſo eligendos, ſecumque ducendos, qui ſe ex Spinellorum gente Patavium conſerret. His non alimenta, ſed certam pecuniam præberi juſſit. Teſtamentum longiſſimum eſt, in quo oſtendit, nihil ad ſe ex patris bonis perveniſſe, ſed ſua omnia ſuo ſibi acquiſita labore eſſe; nequid forte veteri familiæ jure a nepotibus interciperetur. Biennio poſt idibus ſeptembr. Venetiis mortuus eſt. Sed paucis ante diebus codicillum teſtamento addidit, in quo, argenteis Venetis LX. Marco Catanio clerico legatis, nihil, quod ad Collegium pertineret, immutavit.

Sæculo ſuperiore Collegii ſpecies aliqua adhuc extabat: alumni autem IV. erant, quibus per quinquennium argentei quini viceni ab Arcario Procuratiæ viritim præbebantur. Dilapſa poſtea Venetorum *Sexteriorum* pecunia, ceteri quoque reditus, quicunque erant, amiſſi ſunt; Collegiumque intabuit.

Epiſcopi optime meriti ſimulacrum, & monumentum, quod ad B. V. Miſericordis ædem obſcu-

ſcuro in angulo ſemeſum ſituque obſitum latebat, luci reſtituit Petrus Gradonicus Jacobi filius Patr. Ven. antiquitatum omnium, quæ ad patriam illuſtrandam pertinent, conquiſitor & cuſtos ſtudioſiſſimus.

Collegium Franciſci Engleſchi.

MCDXLVI. Auguſtino Calabro Artiſtarum Rectore, Franciſcus de Engleſchis filius Leonardi de Cavalcantibus, Florentinus, Artium ac Medicinæ Doctor, hoc anno VII. id. Sextil. teſtamento juſſit, poſt mortem Catharinæ uxoris Collegium ex domo & bonis ſuis fieri ad cuſtodiendos & alendos juvenes egenos IV. qui Artibus & Medicinæ operam darent, ſinguli per annos quinos, Lauream conſecuturi. Horum duos Patavinos eſſe voluit, tertium Tarviſianum, quartum Muglenſem. His uxor ejus, quadriennio poſt fatum mariti ſecuta, quintum addidit ex bonis propriis. Curatores totius negotii eſſe voluerunt Præſidem Collegii Medici, Stephanum, & Benedictum fratres de Doctoribus, eorumque hæredem ſeniorem. Id uſque adeo nobili huic familiæ placuit, ut Stephanus anno MCDLVI. VIII. Kal. Jul. ſupremis tabulis mandaverit, in domo ſua, & ex patrimonio ſuo Collegium inſtitui generis ejuſdem, ſi quando mares hæredes deficerent. Nunc Collegii Engleſchi alumni quatuor ſunt, Tarviſianus, qui a Decurionibus ejus Civitatis eligitur, & Patavini tres, cum Muglenſis qui petat, nullus appareat. Præbentur ſin-

gulis annui argentei XLV. & cubiculum ornatum; Cuſtodi autem argentei XV.

Scholares Tarviſiani ex inſtitutione Thadæi Adelmarii.

MCDLIV. Bartholomæo Vaſario de Montebodio Artiſtarum Rectore, Thadæus Adelmarius Tarviſianus, Artium ac Medicinæ Doctor, & Comes Palatinus, cum Romæ eſſet Magiſter Regeſti Litterarum Apoſtolicarum, nonis ſeptembr. teſtamentum fecit, domumque Hoſpitalem patriæ ſuæ quæ *S. Mariæ de Battutis* dicitur, hæredem ex aſſe ſcripſit, onere impoſito, & quidem perpetuo, ut ex bonorum ſuorum reditu pauperes adoleſcentes VIII. Patavii alerentur, ubi operam omnem in Theologicis ſtudiis ponerent, tituloſque Academicos obtinerent. Sed cum, labentibus annis, in beneficium hoc partim Cœnobitæ irrepſiſſent, partim alii, qui ſe vel Medicinæ, vel Juriſprudentiæ dabant, Curatores anno MDCCXXVII. rem totam in integrum reſtituerunt, decernentes, ut annui hæreditatis fructus, qui ad ſextarios frumenti LXXII. Tarviſianos, & vini congios LXX. redacti erant, in poſterum viritim dividerentur Clericis Tarviſianis IV. eligendis & probandis ipſorum Curatorum judicio. Præſtitutum ſingulis quinquennium eſt, intra quod Theologicum curſum expleant, & ſacra piacularia quotannis quadragena fieri curent; non ſine prece aliqua quotidiana ad Deum pro æterna teſtatoris ſalute propitiandum. Teſtator quidem non plura po-

poſtulaverat ſacra, quam tricena: ſed cum viſum ſit Curatoribus pro temporum natura ſtudentium numerum minuere, ſacrorum auxerunt.

Collegium Brixianum.

MDIX. Andreà de Bettellis Veronenſi Artiſtarum Rectore, Hieronymus de Lambertis Brixianus, nobili loco natus, cum medicinam Patavii faceret Civitate donatus, hoc anno bona ſua patrio Conſilio ſupremis tabulis reliquit, ejuſque fidei commiſit, ut ex eorum fructu Brixiani juvenes XI. Patavii alerentur, qui ad artes ac diſciplinas acquirendas hoc ſubſidio indigerent, aſſignata domo ipſa, quam incolebat in vico S. Luciæ, ut in Collegii uſum verteretur. Ex his unum, qui moribus eſſet caſtigatis, præfici aliis optimum duxit; addiditque famulum, & coquum. Et, quià bonus vir ſibi perſuaſit; hæreditatem ſuam tempore fieri poſſe meliorem, vetuit ne alumnorum numerus augeretur ultra duodenos, ad vitanda vitia, quæ turbam comitari ſolent. Quidquid ſupereſſet pecuniæ, in pauperes erogari juſſit. Porro in eligendis alumnis Lambertinæ familiæ rationem haberi voluit. Ex ea ſi qui forent, qui beneficio uti vellent, iis conceſſit, ut in Collegio manere poſſent per annos ſinguli denos, & ſtudia colere quæcunque liberet; ceteros in Artibus & Medicina verſari juſſit, nec ultra ſexennium retineri. Poſtea aliæ atque aliæ leges a Collegii Curatoribus conditæ ſunt. Poſtremæ prodiere anno MDCXV. quibus

decernitur ut quini tantum ſint alumni, ex juſtis nuptiis, & honeſto loco Brixiæ nati. Aſſignantur illis Venetæ libellæ tricenæ in menſes ſingulos a Kalendis Novembribus ad Julias per quinquennium: quo elapſo, ſcholaſticos titulos & Lauream in Artibus ac Medicina ſumere debent, fide in anteceſſum data, prædibuſque confirmata. Sed has ipſas leges tempora poſteriora mutarunt. Nunc enim adoleſcentes non plures IV. in Collegio ſunt, nec illis ultra quadriennium litterarium continuari beneficium ſolet. Eſt tamen, ad menſtrua quod attinet, paullo majus. Præbentur enim ſingulis libellæ ſenæ quinquagenæ, & cubiculum rebus omnibus inſtructum præter lintea. Si quis admittitur ſupra numerum, tecto contentus impenſis ſuis vivit. Famulus, idemque Collegii Cuſtos, habet ſalarii nomine argenteos annuos XII. Porro Collegium conditum non eſt niſi poſt annum MDXXII. quo teſtator adquievit.

Collegium Feltrienſe.

MDXXXV. Joanne Jovino Jadrenſi Juriſtarum Rectore, Cornelius Gaſtaldus Feltrienſis ex primoribus civitatis, cum teſtamentum hoc anno Idibus Aug. feciſſet, partem ædium ſuarum, quas Patavii habebat in D. Antonii platea, legavit ad perpetuum hoſpitium trium adoleſcentium, quorum duo Juriſprudentiæ in Gymnaſio operam darent, tertius autem Medicæ facultati. His frumenti ſextarios Patavinos XLVIII. ex bo-

bonis ſuis quotannis præberi voluit, vini cados XXXII. argenteos Venetos XXIV. eaque omnia æquis portionibus dividi ſingulis per annos ſeptenos. Neminem porro admitti juſſit, quin Feltriæ natus eſſet: niſi quis peteret ex ſuis conſanguineis etiam Bellunenſibus, aut Coneglanenſibus, quos perpetuo ceteris præferri mandavit. Hinc ad Altinam familiam beneficium cum manaſſet, vulgo increbuit, Altinum aliquem Collegii auctorem fuiſſe. Anno MDCIXX. ſcribente Antonio Roſato Gymnaſii Bidello, Collegium extabat, ſingulisque alumnis annua præbebantur, argentei quini, frumenti ſextarii XVI. vini cadi X. Hoc tempore vix detegi locus potuit, atque interceptor excludi: jamque, hæreditatis bonis male diſtractis & abſumptis, nihil amplius ſperandum videtur.

Collegium Caucum.

MDLXV. Balthaſſare Friderico ab Oſſa Miſnienſi Juriſtarum Rectore. Ad annum hunc referendum videtur Collegium Caucum ex teſtamento Jacobi Cauci, Canonici primum Patavini, poſtea vero Archiepiſcopi Corcyrenſis. Quina legavit aureorum millia, ut ex eorum perpetuo fructu ædes & commoda pararentur ad recte educandos adoleſcentes IV. vel plures, ſi fieri commode poſſet, qui bonis artibus operam darent. Voluit eſſe Venetos, & quidem ex domo ſua, vel ad domum ſuam ſanguine, aut affinitate pertinentes. Ex his autem eligi placuit

cuit pauperiores. Deficientibus conſanguineis & affinibus, qualeſcunque admitti juſſit primum ex Veneta civitate, deinde ex tota Veneta ditione, pro eligentium judicio. Huic rei præfecit Patavinum Canonicorum Capitulum, mandavitque apud illud totius adminiſtrationis arbitria eſſe. Initio ſæculi ſuperioris Collegium adhuc manebat, in eoque VI. erant alumni, quibus annui argentei quadrageni præbebantur. Nunc, amiſſa pecunia, contabuit; ædeſque vacant in Vinealium vico ad hoſpitii meritorii uſum.

Collegium Priolum.

MDLXXI. Joanne Cladio Cretenſi Juriſtarum Rectore, Ludovicus Priolus, Hieronymi Venetiarum Ducis filius, D. Marci Procurator, III. id. Septembr. teſtamento ſuo Collegium inſtituit, in quo eſſent pueri VI. litterarum & bonarum artium ſtudioſi, aſſignatis in capita, donec ſtudiorum curſum abſolverent, argenteis annuis centenis. Horum quatuor eſſe juſſit ex familia ſua, ſiquidem reperirentur idonei; ſin minus, ex liberis & nepotibus Conſtantini Prioli ſenioris; reliquos autem duos ex tota Priolorum gente. Rei curandæ præfecit Arcarium *Procuratiæ de ultra*, & Præſidem Sodalitii S. Rocchi. His mandavit, ut vivente uxore, domum in hac Urbe conducerent, ubi juventus hæc commode ageret; ea vero defuncta, ædes ſuas in vico S. Crucis cum apparatu omni ad Collegii uſum verterent. Et partem quidem ædium ſuperiorem

qua-

quatuor ex ſuis, quos ante dixi, tenere voluit, in inferiore alios duos habitare. Hujus rei gratia certam pecuniæ ſummam reliquit partim collocatam, partim collocandam. Sed cito beneficium deficere cœpit. Anno ſiquidem MDXCVI. tribus tantum alumnis ſatis fuit; quinquennio autem poſt domus quoque ipſa locari debuit; ut ex locationis fructu, qui fuit argenteorum CXXX. annua illis præberentur. Poſtremos invenio, qui legato uſi ſunt, Aloyſium Alexandri, & Marcum Laurentii filios, anno MDCXC. Hoc tempore nihil extat niſi domus pulcherrime ædificata, & Collegii nomen.

Scholares Tarviſiani ex inſtitutione Hortenſii de Fabris.

MDLXXII. Bartholomæo Bozza Equite Cretenſi Juriſtarum Rectore, Hortenſius de Fabris, Hieronymi filius, civis Tarviſianus, omnia bona ſua patrio Juriſconſultorum Collegio ſupremis tabulis reliquit & commendavit, ut eorum fructum, deducto vectigali, per decennium certis puellis collocandis impenderent, quemadmodum in tabulis ipſis perſcriptum eſt; tum poſtea Scholares binos iiſdem bonis alerent, alterum ex civibus, ex ordine Doctorum alterum, qui in Patavino Gymnaſio Juriſconſultos audirent, non tamen ultra quinquennium; quo elapſo, ad puellas reverti beneficium juſſit per annos X. ordine eodem; atque ita deinceps in perpetuum.

Scho-

Scholares Bellunenſes ex inſtitutione Epiſcoporum, Contareni, & Lollini.

Eodem anno, Fauſto Duraſtante iterum Artium Prorectore, Julius Contarenus Bellunenſis Epiſcopus cum bonorum ſuorum hæredes ejus civitatis pauperes in perpetuum ſcripſiſſet, curamque rei hujus patrio Juriſconſultorum Collegio demandaſſet, Clericorum præcipue rationem haberi voluit; quorum binos ſingulis quinquenniis ad hanc Univerſitatem mitti juſſit ſacris initiatos, ut litteris atque artibus erudirentur, aſſignatis in capita argenteis quinis vicenis alimentorum gratia. In patriam cum redierint, publicam diſputationem habere tenentur, eamque propugnare diſciplinam, cui ſe in Patavinis ſcholis potiſſimum dediderunt.

Contarenum æmulatus Ludovicus Lollinus ejuſdem civitatis Epiſcopus anno MDCXXIV. teſtamentum fecit, curatoreſque ejus atque exactores eoſdem Bellunenſes cives conſtituit, ut ex perpetuis hæreditatis ſuæ fructibus partim puellis urbanis egentibus dotem præberent, partim rectæ indolis clericos in Patavino Gymnaſio alerent, ubi per quinquennium ſtuderent. Hoc tempore novem admodum Patavii ſunt, qui beneficio utuntur; ſinguliſque annui præbentur argentei quinquageni.

Col-

Collegium Amuleum.

Multi per id tempus de augenda Patavini Gymnaſii frequentia cogitabant. Marcus Antonius Amuleus Cardinalis teſtamento ſuo Collegium parari juſſit adoleſcentibus Venetis, Reipublicæ capeſſendæ natis, qui litteras primum ediſcerent, deinde Juriſprudentiæ ſe totos darent per annos ſinguli quinos. Neminem autem admitti voluit, qui vel minor anno ſextodecimo, vel viceſimo major eſſet. Hanc in rem certa quædam bona reliquit, quorum cura & adminiſtratio penes hæredes eſſet; ut ex his bonis argenteos annuos quinquagenos, vel ſexagenos ſingulis præberent. Alumnos porro eligi placuit primum ex familia ſua, deinde ex Michaeliis, tum ex Penſauris, Grittis, Donatis, Corneliis, Bernardis, Malipetris, Contarenis. Eundem voluit eſſe ordinem eorum, qui eligerent, ut arbitrium hoc ad poſteros ſuos pertineret, quamdiu ſtaret gens Amulea; ea deficiente, ad Michaeliam deveniret, atque ita deinceps ad alias, ut quæque deficeret. Conditum ingenti munificentia Collegium eſt in prato Vallis. Sed cito prolabi cœpit, quamvis adminiſtrationis ratio Urbis Præfecto quotannis redderetur teſtatoris juſſu & providentia. Anno MDCXXIV. rei litterariæ Triumviri ejus ſtatum reparare conati ſunt ex Senatuſconſulto III. non. Aug. coactis teſtatoris hæredibus undena argenteorum millia Collegio reddere, quæ ex ejus bonis percepta

in

in rem ſuam verterant. Ex eodem Senatuſconſulto juſſerunt, Collegii hujus beneficium ad alias ex ordine Patritiorum familias transferri, quoties ex illis petitores deſint, quas teſtator deſignavit. Ad extremum Sommaſchenſes Patres ad juventutem hanc regendam acciti, traxere in ædes ſuas. Ac tum quidem alumni XII. erant pro modo & ratione redituum: nunc VII. ſunt.

Collegium Philologi Ravennatis.

MDLXXVII. Stephano Cereolo Colonienſi Artiſtarum Rectore, Thomas Philologus de Rangonis Ravennas, Eques, cum Venetiis diu medicinam feciſſet, & in hac Univerſitate primum Sophiſticæ, poſtea Aſtrologiæ Profeſſor fuiſſet, hoc anno V. Kal. Septembr. teſtamentum fecit, juſſitque ut domus, quam ipſe ſibi ad pontem Molendinorum extruxerat, ad Collegii uſum converteretur. Aſſignavit etiam bona quædam, Curatoreſque conſtituit Plebanos Venetos S. Juliani, S. Geminiani, & S. Joannis in Bracora, qui ſtudioſos adoleſcentes in Collegium admitterent, undecunque tandem eſſent. Teſtamenti verba grande aliquid ſonant, & magnifice pollicentur. Credibile eſt etiam, rei principia reſpondiſſe. Id conſilii Philologus jamdiu ceperat. Anno enim MDLII. ad patrium Senatum litteras miſit, quibus declarabat, ſe adoleſcentibus conterraneis viginti tribus magnificas Patavii ædes paraſſe, eoſque ſtatim invitabat; ſed oblato tecto dum-

dumtaxat. Ginannus Abbas de patria litterarum gloria præclare meritus ſcribit, condito Collegio; beneficium amplificatum fuiſſe ad alumnos XXXII. & quidem generis omnis, conceſſa tamen Ravennatibus prærogativa. Nunc adoleſcentes hac in domo non plures VIII. degunt, quibus ſingulis die feſto S. Thomæ Apoſtoli nummus argenteus dari ſolet, quod ſcutum vocant, præter ſal & ligna in annum totum litterarium; nec retinentur ultra quadriennium. Anno MDCXXVII. orta de bonorum adminiſtratione controverſia inter fiſci miniſtros, & Collegii curatores, Senatus decrevit XVII. Kal. Octobr. ad rei litterariæ Triumviros negotii cognitionem pertinere. Famulo, qui Collegii cuſtos eſt, & coquinariam facit, præbentur, præter ſal & ligna, ſalarii nomine argentei Veneti XXXVI.

Collegium Superchium, Milanum, & Urium.

MDXCIII. Georgio Pipano Cracovienſi Artiſtarum Rectore; Collegium Superchium in vico D. Proſdocimi conditum eſt. Sed ejus hoc tempore nihil extat niſi titulus foribus inſcriptus: *Collegium a Reverendiſſimo D. Hieronymo Superchio Protonatorio Apoſtolico, & Præpoſito Piſaurenſi inſtitutum, curante Joanne Gritti commiſſario teſtamentario, extructum anno MDXCIII.*

In eodem vico Collegium alterum erat familiæ Milanæ ex Noali ad ſtudioſam ejus oppidi juventutem excipiendam. Sed nunc quidem veſtigium nullum apparet.

Ter-

Tertium memorat Gymnaſii Hiſtoricus Græce Latineque doctus Papadopolus, quod, ut ſcribit in lib. 1. Sect. 1. c. 18. *Urius ædificavit in vico S. Proſdocimi, cenſuſque ſuffecturos decem advenis Cypriis alendis conſtituit*. Sed jamdiu, ut idem Papadopolus ait, prorſus evanuit; fruſtraque Livius Podocatharus Archiepiſcopus Nicoſienſis illud reſtituere conatus eſt.

Scholares Saccenſes.

MDCVIII. Matthæo Breto Cretenſi Artiſtarum Syndico loco Rectoris, Vincentius Gallus Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ Plebis Sacci ſua omnia teſtamento reliquit Vincentio Gallo nepoti, agnatiſque ejus maribus in perpetuum. His deficientibus, certa quædam bona legavit Eccleſiæ ſuæ, ex quorum fructu Clericus Saccenſis Patavii aleretur, ubi Theologicis ſtudiis per annos litterarios ſex operam daret; &, ſiquidem lauream obtineret, anni quoque ſeptimi beneficio frueretur. Electio Clerici prima incidit in annum MDCCXII. quo Gallorum familia defecit. Et multi quidem, alius poſt alium, ad Patavinas ſcholas venere, quibus annui præberi ſolent argentei XL. nemo tamen adhuc laureatus ad Eccleſiam ſuam rediit.

Scholares Bormienſes.

MDCXXV. Clemente Thienæo Vicetino, Juriſtarum Syndico loco Rectoris, Senatus decrevit

vit V. Kal. Decembr. rationem habendam eſſe deſiderii, quod Bormienſes cives ex Valle Tellina oſtenderant, collocandi juvenes ſex in Collegiis Patavinis ad pauperum commodum inſtitutis, ubi bonis artibus operam darent. Sed cum locus in Collegiis nullus vacaret, jamque Bormienſes quatuor adveniſſent, parata ſunt illis cubicula in Feltrienſi ad Baſilicam Antonianam, attributis ex ærario in menſes ſingulos argenteis quinis, qui triennio poſt aucti ſunt ad VIII. Anno MDCLXIII. Bormienſes octo, & quidem parum idonei, beneficio utebantur: quod demum juſtis de cauſſis ceſſavit, ut colligitur ex litteris Ducalibus ejus anni ad Patavinum Præfectum nonis Septembr. datis.

Collegium Græcum.

MDCXXXIII. Syndicis & Prorectoribus Franciſco Jambono Artiſtarum, Decio de Monte Juriſtarum, Vicetinis. Monachus Geraſimus Palæocappa, Cydoniæ in Creta nobili loco natus, exeunte ſæculo ſuperiore Ciſamenſem Epiſcopatum Græcis ritibus inſtituit, & ſupremis tabulis hæredem ex aſſe ſcripſit. Cavit autem, ſi forte ſtare non poſſet (quod jure metuebat propter controverſias inter Græcos & Latinos) ut vendito patrimonio, pecunia Venetias transferretur, & ex ejus fœnore pueri XXIV. Græci generis partim Romæ, partim Patavii collocati bonis artibus inſtruerentur. Obiit anno circiter MDXC. venditiſque bonis, quæ Ciſamenſi Eccleſiæ reli-

querat, non plus conflatum pecuniæ eſt, quam quantum annuis adoleſcentum XII. ſatis eſſet. Atque ii quidem Triumvirum judicio delecti Romam miſſi ſunt, & in Græcorum Collegio collocati, aliis atque aliis pro temporum & ſtudiorum ratione ſuffectis; donec Senatus gravibus de cauſſis cenſuit, Patavium eſſe transferendos. Magiſtratus anno MDCXXXIII. ex Senatuſconſulto rem totam compoſuit, inſtituto Collegio, in quo Cretenſes ex ipſa metropoli quatuor alerentur, Cydonii duo, totidemque Rithymnenſes, præterea Corcyræus, Cythereus, Zacynthius, & Cephalenus. Decreti in capita argentei LX. non tamen ultra ſexennium; cuſtodi autem, qui idem coquus & famulus eſſet, CXL. addita conditione, ut ſal, acetum, & ligna præberet; nec reciperetur, quin fidei pignus idoneum daret. Quæſita domus, quæ huic numero atque ætati apta & accommodata eſſet: cumque emi non potuiſſet, conducta eſt primum ad Pontem Ligneum, poſtea ad D. Joannis portam, nunc demum in Vinealium vico. Proximam Collegii curam placuit eſſe apud Urbis Præfectum, cui in auxilium datus eſt ex Profeſſoribus unus, qui Collegii Præſes diceretur. Huic cuſtos rerum omnium rationem reddere debet; ut, ſi quid forte accidit, quod remedio indigeat, prudentia ipſe ſua, vel Præfectitia, aut etiam, ſi opus ſit, Triumvirali auctoritate occurrat. Nunc onus hoc ſtrenue ſuſtinet Petrus Buſenellus C. R. T. Pontificii Juris Interpres, vir doctus & admodum operoſus, qui tranſmarina

rina ingenia incredibili labore ac moleſtia in officio retinet. Vetita ſunt arma omnia, fœminarum commercia, alea, & ſiquid eſt aliud, quod avertere a ſtudiis juvenes poſſit, aut eorum diſciplinam corrumpere. Et quia ſtatim majoribus diſciplinis adjicere animum debent, nemo recipitur, quin rite recteque probet, ſe Latinas litteras tenere.

Scholares Aſcrivienſes.

MDCXXXIV. Hieronymo Lana Brixiano Juriſtarum Syndico loco Rectoris, conceſſum eſt Aſcrivienſibus decreto Senatus XV. Kal. Dec. ut in poſterum nobiles adoleſcentes binos Patavium mitterent, ubi per quinquennium ſtuderent, attributis ex publico ejus civitatis vectigali argenteis annuis in capita LXX.

Scholares Feltrienſes ex inſtitutione Galeacii Tomitani.

MDCXXXVII. Joanne Pindemontio Veronenſi Syndico loco Rectoris, obiit Galeacius Tomitanus Feltrienſis, Bernardini filius, qui ante annos viginti teſtamentum fecerat, & biennio poſt explicuerat. Morti proximus confirmavit, juſſitque ex fructibus pecuniæ hunc in finem perpetuo fenore collocatæ adoleſcentes binos cives ſuos, genere ſibi proximiores, ſi qui peterent, ſin minus, certe Feltrienſes, Patavium mitti, ubi per ſexennium Theologicis ſtudiis operam darent,

in iiſque probati lauream adipiſcerentur, aſſignatis in capita annuis argenteis L. Quod ſi quis eorum, Patavino confecto curriculo, Romam pergere vellet, honoribuſque ejus Urbis velificari, annua ipſi ad ſexennium alterum ſuppeditari mandavit. Fratrem hæredem inſtituit, ejuſque liberos ac nepotes in perpetuum, quandiu extarent. Illis deficientibus, adoleſcentes inſuper alios populares ſuos ex tertia hæreditatis parte in hoc Gymnaſio ali atque inſtrui perpetuo voluit; totiuſque rei arbitrium ad patrium Conſilium contulit. Nunc jam, cum familia ſæculo ſuperiore defecerit, Feltrienſes quini Patavii ſtudent, bini Theologiæ, terni reliquis diſciplinis pro patrii Conſilii arbitrio. Anno MDCCL. hæreditariis uſuris a quincunce ad trientem redactis, Juris ac Medicinæ ſtudioſis annua ſunt imminuta. Poſt quinquennium laureati in patriam redeunt, aliiſque locum cedunt.

Collegium Nobilium Venetorum.

Inter Collegia Patavii inſtituta ad alendam & erudiendam quam minimo familiarum onere juventutem illud quoque referri poteſt, quod anno MDCXXXVII. Senatus condi juſſit in ædibus, quas Societatis Patres deſeruerant; ut in eo pueri ex Veneta nobilitate quadrageni recte educati bonis artibus imbuerentur. Illud enim ſpectarunt Senatores ſapientiſſimi, ut ibi eſſet juventus hæc, ubi cum rudimenta prima ſtudiorum poſuiſſet, artium ac diſciplinarum omnium ma-

magiſtros publico ſumptu paratos haberet, ipſoque Univerſitatis aſpectu excitaretur.

Condito igitur ſub anni initium Collegio, quæſitus ſtatim Rector eſt Balthaſſar Bonifacius, qui poſtea Epiſcopus fuit Juſtinopolitanus, & ex ejus conſilio Præfecti morum, ac Magiſtri; omnibuſque ex publico ærario attributa ſtipendia ſunt. Cum enim alumnorum penſio non excederet argenteos centenos, vix ad victus impenſas ſufficere credebatur. Compoſitæ judicio ſapientum regulæ ſunt, quarum caput erat, ut Urbis Præfectus ſemel in hebdomada Collegium inviſeret, unus autem ex Triumviris Litterariis ſemel in menſe; ne quid impune peccaretur. Res nova ſtatim plurimos illexit, auctuſque numerus eſt, addita conditione, nequis ultra annum ætatis decimum & octavum retineretur. Sed, ut ſunt humana omnia quæ nimia celeritate creſcunt, cito conſenuit; jamque anno MDCXL. ad alumnos admodum octo ventum erat. Quapropter biennio poſt pridie id. Novembr. Principis decreto Collegium clauſum eſt: ædium autem uſus anno MDCLVII. ad veteres dominos rediit.

Collegium Montiſilicis.

MDCXL. Henrico Lindeſajo Scoto Prorectore ac Syndico, cum Matthæus Carbonus, civis & Medicus Montiſilicis deceſſiſſet, ex ejus teſtamento Collegium extructum eſt prope ædem D. Annæ, in quo adoleſcentes IV. per annos ſeptenos ſtudendi otium haberent, attributis in

capita argenteis annuis octogenis. Ex ſuis conſanguineis Zuccatis & Ferrariis eſſe voluit, ſi qui peterent; ſin minus, ex reliquis conterraneis. Rei totius adminiſtrationem & eligendi jus penes publicum Montiſilicis Conſilium eſſe juſſit.

Collegium Cottunium.

MDCLIII. Jacobo Calichiopulo Rhitymnenſi Artiſtarum Syndico & Prorectore, Joannes Cottunius Eques, Berrhœæ in Macedonia natus, primarius in hoc Gymnaſio Piloſophiæ Profeſſor, Collegium Græcis pueris Patavii alendis recteque educandis inſtituit, & Senatus Decreto confirmari curavit. Domum ſatis commodam in hunc uſum paravit e regione Baſilicæ Antonianæ, numerumque alumnorum eum eſſe voluit, qui bonis ſuis teſtamento aſſignandis reſponderet, attributis unicuique argenteis in menſes ſingulos ſenis, non tamen ultra ſeptennium; additaque conditione, ut Græca veſte uterentur, & ad mores ritusque Orientalis Catholicæ Eccleſiæ viverent. Hac de cauſſa Rectorem Græci generis præfecit, ſacriſque Græcis initiatum. Eundem Magiſtrum eſſe juſſit, Græciſque ac Latinis litteris pueros iſtos inſtruere. Anno MDCLVIII. Cottunius ſupremum diem obiit; & Collegium ipſum hæredem ex aſſe ſcripſit, rei cura Patavino Medicorum Collegio mandata. In quo quidem bonus Philoſophus non ſatis vidit: cito enim labi omnia in deterius

cœ-

cœperunt. Itaque Senatus, tota petente per Philadelphiæ Epiſcopum natione, curatores amovit, totamque Collegii adminiſtrationem ad Triumviros Gymnaſii moderatores tranſtulit. Illud quoque anno MDCLXXIV. provide ac ſapienter factum, ut venditis prædiis omnibus, pecunia in publicum ærarium inferretur, ex cujus fenore alumni VIII. Rector, & famulus, ablatis curis omnibus, commode in Collegio degunt. Siquid forte accidit, quod majorem operam poſcat, quam Rector ipſe præſtare poſſit, ad Græci Collegii Præſidem negotium defert. Nunc Collegium regit vir litteris excultus & induſtrius Antonius Straticò, qui ſuis inſtitutionibus parat juventutem hanc ad graviora ſtudia in Gymnaſio capeſſenda.

SYNTAGMA XI.

De Gymnaſii Regimine.

PAtavinæ litterarum atque artium ſcholæ, cum ſingulæ per ſe ſtarent, in tutela Epiſcopi erant. Poſtquam autem ſocietate conjunctæ, ſuum ſibi Rectorem elegerunt, pars hæc Civitatis inter præcipuas haberi cœpit, eique parere, in cujus poteſtate tota civitas eſſet. Et quia ætate Gymnaſii prima civitas libera erat, Scholaſticus Rector bis in hebdomada *Antianorum* magiſtratum adibat, ut de rebus ad Gymnaſii regimen pertinentibus cum illis ageret; &, ſiquid opus eſſet, ad Majus Conſilium referebat. *Studii* quoque *Tractatores* creari quotannis ſolebant, qui poteſtatem in ſcholas proximam & procurationem haberent; ac, ſiquid eveniret, cui eſſet celeriter providendum, ipſi cognoſcerent, & una cum Rectore deliberarent. Quatuor fuere, ſinguli ex ſingulis Urbis regionibus, quæ *Quarteria* dicebantur: cumque Magiſtratu abiiſſent, vacare triennium debebant. Quidquid porro deliberatum eſſet, Prætoris edicto edebatur, & Prætoria nitebatur auctoritate. Hinc magna ordinis hujus erga Prætorem obſervantia; quæ anno MCCLXXVII. eo uſque progreſſa eſt, ut Venetum Patricium Marcum Quirinum, poſita Prætura, in patriam redeuntem Doctores diſcipulique omnes, agmine facto, deduxerint; ibique publica oratione laudarint, grateſque egerint. Interiorem Scholarum cu-

curam Collegia ſuſceperunt ab Epiſcopo inſtituta, & in ejus tutela poſita; modumque docendi omnem ac diſputandi ſui juris fecere. Illorum hac in parte tanta erat auctoritas, ut ne ipſi quidem civitatis Domino niſi roganti morem gererent. Itaque anno MCCCLXXXII. ægre conceſſere Joanni de Florentia, ut, cum alibi examinatus & probatus fuiſſet, laurea Patavina ornaretur, *ſupplicante Domino*, ideſt Franciſco Carrarienſi, ut eſt in actis Collegii Medici hujus anni.

Mos hic tenuit uſque ad annum MCCCCV. quo Gymnaſium una cum Urbe & agro Patavino, pulſis Carrarienſibus, in Venetorum ditionem venit. Statim Senatus, ex fide Patavinis civibus data tuendi Gymnaſii, curam ejus Sapientum Collegio commiſit. Et ut Patavii quoque eſſet, qui ſuiſmet oculis Gymnaſium inſpiceret, & in re præſenti mature occurreret, paucis poſt annis quatuor boni viri ex Patavina nobilitate delecti ſunt, qui *Studii, Sollicitatores* dicerentur; idque fieri quotannis placuit, quemadmodum in Statutis Civitatis perſcriptum eſt ad annum MCDXX.

Sed anno MDXVII. Litterariis exercitationibus reſtitutis, quas bellum interceperat, regiminis ratio mutata eſt. Senatus enim IX. Kal. Mart. Sapientum Collegio mandavit, ut Patricios tres eligeret, qui Patavinis ſcholis conſulerent; &, ſi qua viderentur in hac reip. parte moribus deformata, reformarent. Hinc Reformatores dicti, quod nomen adhuc manet. Pridie

non.

non. Sept. in univerſum Gymnaſium conceſſa illis novo Senatus conſulto poteſtas eſt: anno autem proximo idibus Aug. illud quoque indultum, ut de rei litterariæ negotiis referre ipſi ad Senatum poſſent. Poſt annos decem Magiſtratus hic Senatorius declaratus eſt, addito miniſtro probatæ fidei atque induſtriæ, qui a ſecretis conſiliis & epiſtolis eſſet. Et quia pro rerum multitudine ac varietate annuum temporis ſpatium nimis anguſtum videbatur, Senatus decrevit XIII. Kal. Jul. MDLVII. ipſa petente Univerſitate, ut Patavini Gymnaſii Reformatores biennium in Magiſtratu eſſent. Initio autem ſæculi ſequentis datus eſt Magiſtratui hac ipſa in Urbe Procurator, decreto ſtipendio florenor. XXX. Ingulfus de Comitibus Patavinus, Logicæ Profeſſor, qui omnia obſervaret ad rectum Gymnaſii regimen pertinentia; nec Triumviris modo Litterariis, ſed etiam civitatis Rectoribus operam navaret, ſi quid incideret ex hoc genere, in quo ejus conſilio & induſtria opus eſſet. Sed immature præreptus eſt: monumenta autem Gymnaſii omnia ab eo diligenter collecta, & quatuor voluminibus comprehenſa Venetias, Magiſtratu jubente, miſſa ſunt ad Cl. Marcheſinum, qui Triumviris erat a manu & ſecretioribus officiis. Nemo Ingulfo ſuffectus eſt: ſed imaginem quamdam miniſterii hujus refert Jo. Franciſcus Pivatus J. U. D. qui anno MDCCXXXIX. ad rei librariæ procurationem electus eſt, addito etiam onere præſtandæ operæ, quoties Magiſtratus haberetur. Hoc nomine attributi ſunt illi

ex

ex pecunia Gymnaſtica annui centeni quinquageni. Ipſi quoque Triumviri ſuis aliquando oculis Gymnaſium luſtrare conſueverunt. Poſtremi autem Patavium venere anno MDCLXXIV. Andreas Contarenus, Angelus Corrarius, & Jo. Baptiſta Nanius, ut ſcholas inviſerent, &, ſiquid opus eſſe videretur ad earum dignitatem & publicum bonum, præſentes curarent. Ad eos ſtatim Syndici cum Conſiliariis ſe contulere, magna comitante Scholarium manu, præeuntibus Bidellis, ceteriſque ſervis publicis cum utriuſque Univerſitatis inſignibus. Poſtero die ipſi quoque Civitatis Decuriones in obſequio fuere, ſubinde vero Collegia, & minores Academiæ. Cuncti benigne habiti; & de ſuo quiſque officio blandis adhortationibus moniti. In Urbe quatriduo cum manſiſſent, bis in die ad Gymnaſium venere; apparatuque ſolemni ad januam excepti, & in ſcholas deducti, primarios omnes, multoſque præterea ex ſecundariis Doctores audierunt. Quarto die, advocatis primariis utriuſque Univerſitatis Profeſſoribus, Syndicis, Actuariis, Bidellis, & quidem ſingulis ſeparatim, de tota re Gymnaſtica in multam noctem diligentiſſime quæſierunt, emendatis, quæ prava conſuetudine irrepſerant. Poſtridie autem Venetias regreſſi ſunt. Senatus, eorum induſtria & ſapientia laudata, primum quidem vetera decreta confirmavit, deinde alia quædam in eorum verba decrevit, quæ temporum ratio poſcere videbatur: illud in primis ut Profeſſores omnes, non publice modo, ſed etiam privatim toto anno litterario

rio docerent; quod crebris poſtea Ducalibus litteris repetitum, & confirmatum eſt.

Nunc, quod fecit Tomaſinus, & eum ſecutus Papadopolus, Gymnaſii Patavini Reformatorum ſeriem demus, inde incipientes, ubi ipſi deſierunt.

1721. Petrus Grimanus Eques, & D. Marci Procurator, Petri Fil.

Franciſcus Superantius D. M. P. Joannis Fil.

Carolus Ruzinus Eq. D. M. P. Marci Fil.

1722. Jo. Petrus Paſchalicus Vincentii Fil.

Aloyſius Piſanus Eq. D. M. P. Jo. Franciſci Fil.

1723. poſtridie id. Nov. obiit Franciſcus Superantius D. Marci Procurator, qui cum viginti ante annis Patavinam Præfecturam geſſiſſet, perſpectaſque haberet ærarii Gymnaſtici rationes, poſtea Triumviralem poteſtatem adeptus Profeſſorum ſtipendiis recte conſuluit. Sed in toto hoc munere cuilibet eorum par habitus eſt, quorum fidem, integritatem, & conſtantiam in rebus civilibus adminiſtrandis antiquitas celebrare ſolet. Eo defuncto, apparuit, in tanta præſtantium civium copia quemlibet fato ſuo ſine patriæ diſcrimine fungi poſſe. In eadem enim domo repertus eſt, qui locum ejus pro dignitate impleret, Andreas frater, ipſe quoque D. Marci Procurator.

1724. Io. Franciſcus Maurocenus Eques, Dominici Fil.

Petrus Grimanus Eq. D. M. P.

Andreas Superantius D. M. P. Joannis Fil.

1725.

1725. Kal. Febr. Carolus Ruzzinus Eq. D. M. P.

1726. poſtridie non. Jun. Jo. Petrus Paſchalicus.

XIII. Kal. Jan. Aloyſius Piſanus Eq. D. M. Procurator.

1727. poſtridie id. Febr. Jo. Franciſcus Maurocenus Eq.

1728. VII. Kal. Jul. Petrus Grimanus Eq. D. M. P.

IX. Kal. Jan. Andreas Superantius D. M. P.

1729. V. Kal. Mart. Carolus Ruzzinus Eq. D. M. P.

1730. pridie non. Jul. Jo. Petrus Paſchalicus.

1731. pridie non. Jan. Aloyſius Piſanus Eq. D. M. P.

1732. idib. Mart. Jo. Franciſcus Maurocenus Eq.

IV. id. Jul. Petrus Grimanus Eq. D. M. P.

1733. XIV. Kal. April. Andreas Superantius D. M. P.

1734. XIII. Kal. April. Laurentius Teupolus Eq. D. M. P. Franciſci Fil.

XVI. Kal. Sextil. Jo. Petrus Paſcalicus.

Hoc anno mortuus eſt Carolus Ruzzinus Venetiarum Dux. Biennio ante per plurima in remp. merita ad ſummum hoc dignitatis culmen pervenerat : cumque ex iis eſſet, qui Patavina ſtudia Triumvirali poteſtate regunt, Profeſſores, ſtatua illi in Gymnaſio poſita, memorem beneficiorum animum teſtati ſunt. Titulum fecit Antonius Arrighius Juris Civilis Profeſſor.

CA-

CAROLO RUZZINO

Venetorum Principi, qui ſummis magiſtratibus, maximis legationibus ad Cæſarem, Hiſpanorum, Turcarumque Reges, ad nationum omnium pacis componendæ nobiliſſimos Conventus ſplendidiſſime obeundis Venetam RP. domi ac foris geſſit feliciſſime, rem litterariam IIIVir munificentiſſime aluit & auxit, loci hujus decora & ornamenta conſtantiſſime defendit, litterarum & litteratorum parenti optimo Univerſi Profeſſores poſuere, anno a Chriſto nato MDCCXXXII.

1735. III. id. Mart. Michael Maurocenus Eq. Laurentii Fil.

1736. IX. Kal. April. Joannes Emo D. M. P. Petri Fil.

V. id. Aug. Petrus Grimanus Eq. D. M. Procurator.

1737. IV. Kal. April. Jo. Franciſcus Maurocenus Eq.

Obiit hoc anno VI. Kal. Decemb. ex Triumvirum ordine Andreas Superantius D. Marci Procurator, vir optimus, civis egregius, & Senator nulli obnoxius, qui in hoc magiſtratu, & in omni reip. adminiſtratione non ſpecioſa, ſed vera ſecutus, fortem animum & propoſiti tenacem ſemper oſtendit. Itaque, cum aſperior ha-

haberetur, magis ſapientum, quam populi judiciis floruit.

1738. Kalendis April. Daniel Bragadenus Eq. D. M. P. Andreæ Fil.

XII. Kal. Sept. Jo. Petrus Paſcalicus.

1739. V. id. April. Laurentius Teupolus Eq. D. M. P.

Menſe Aprili hujus anni obiit Jo. Franciſcus Maurocenus Eques, Triumvir Gymnaſii ſtudioſiſſimus, quaſique parens, qui tamen non multa ageret, atque adeo multa agentibus obſiſteret, veritus quod in ore frequenter habebat, ne res, quæ ſua ſponte ſatis commode fluerent, nimia opera & ſedulitate corrumperentur. Ceterum etiam cum minime agere videretur, temporibus ſapienter uſus, quod ipſi in animo erat, non tam ſuo, quam collegarum judicio expediebat. Scholarum doctrina & eruditione non admodum valuit, quod ſe totum ab ipſa adoleſcentia publicis negotiis dediſſet: ſed natura tamen atque uſu rerum ita præſtabat, ut cum de rep. judicandum eſſet, quaſi divina quadam ſapientia præditus videretur. Honores quos voluit omnes conſecutus eſt. Aliquos enim noluit ne ex ſummis quidem; quia totam vitæ rationem ad civilem habitum moderabatur, & invidiam in primis metuebat. His artibus, & cenſoria quadam morum gravitate tantam ſibi exiſtimationem conciliavit, ut cum Senatus de more legeretur, ſuffragantium favore omnes anteiret. De hoc vero ſupremi Conſilii judicio, quo primus inter optimos declarabatur, magnopere

pere ſibi placebat. In reliqua vita valde gravis & cogitabundus cum eſſet, leviter exiſtimantibus triſtior habebatur.

1740. VII. id. April. Joannes Emo D. M. P.

III. non. Sept. Petrus Grimanus Eq. D. M. P.

1741. XVII. Kal. Maj. Aloyſius Petrus Mocenicus Leonardi Fil.

Poſtridie non. Jul. Joannes Quirinus D. M. P. Paulli Fil.

Inclinante Junio, Ducem amiſimus Aloyſium Piſanum, qui unus maxime, in privata domo natus cum eſſet, imperio dignus viſus eſt. Huic ſupra ceteros Gymnaſium Patavinum grati animi teſtimonium debet. Quamdiu enim litterariam provinciam Triumvirali poteſtate adminiſtravit, de ſingulis atque univerſis bene mereri ſtuduit, facilis, apertus, & quoties occaſio tulit, munificentiſſimus. Cum ad ſupremam hanc honoris ſedem evectus eſt, ſtatuam illi Profeſſorum ordo, nummis viritim collatis, poſuit. Titulum fecit Jacobus Facciolatus Logicæ Profeſſor.

ALOYSIO PISANO

Duci Venetiarum Pio, Felici, Munifico, ob rem litterariam in IIIViratu ſervatam & auctam Patavini Gymnaſii, Profeſſores, ære conlato, ſtatuam poſuere.

Anno Ducatus I.

1742. pridie id. April. Daniel Bragadenus Eq. D. M. P.

Men-

Menſe Aprili Eques ac D. Marci Procurator Laurentius Teupolus exceſſit, Triumvirum Litterariorum, & Sexvirum, quos *Conſilii Sapientes* vocant, facile princeps. Quæ enim vis tanta & celſitudo mentis in ullo umquam fuit, quæ gravitas tanta, conſtantia, probitas, fides, ut cum illo conferri poſſet? Sui conſilii vir, & firmitatis plane Senatoriæ, non id ſpectabat in rebus gerendis, quod vulgo laudaretur, ſed, quod e republica eſſet, ingenti animo faciebat, & libera oratione defendebat. Itaque cum invidiam omnem exiſtimatione atque auctoritate ſuperaſſet, multorum annorum felicitate uſus eſt. Sed & in adverſis (nam hæc quoque ſub vitæ finem expertus eſt) eamdem animi vultuſque æquabilitatem retinuit. Senectute adhuc viridi naturæ ceſſit, ingenſque ſui deſiderium patriæ reliquit.

1743. XII. Kal. Maj. Jo. Petrus Paſcalicus.

IX. Kal. Sextil. Marcus Foſcarenus Eq. D. M. P. Nicolai Fil.

1744. XIV. Kal. Maj. Joannes Emo D. M. P.

1745. III. Kal. Maj. Aloyſius Petrus Mocenicus.

III. Kal. Sextil. Joannes Quirinus D. M. P.

1746. IV. Kal. Maj. Daniel Bragadenus Eq. D. M. P.

1747. VII. id. Maj. Andreas Foſcarenus Joannis Fil.

XIV. Kal. Sept. Barbonus Maurocenus Eq. D. M. P.

Nonis Oct. Marcus Foſcarenus Eq. D. M. P.

1748. V. id. Maj. Joannes Emo D. M. P.

1749. III. non. Aug. Aloyſius Petrus Mocenicus.

Idibus Dec. Joannes Quirinus D. M. P.

1750. poſtridie id. Maj. Daniel Bragadenus Eq. D. M. P.

1751. VII. id. Sept. Barbonus Maurocenus Eq. D. M. P. Michaelis Fil.

Obiit, ineunte Decembri, Michael Maurocenus Eques, ex eorum ordine, qui Patavino Gymnaſio præfici conſueverunt, magnus vir, & inter æquales civilibus artibus longe præſtans. In eo enim omnia ſumma fuere, altitudo animi, officii religio, vitæ cultus cum elegantia & copia, verſatile ad negotia quælibet ingenium, eloquentia, conſilium, gratia demum & auctoritas, nec umquam intermiſſum utriuſque retinendæ ſtudium. Is mehercule, ſiquis unus in libera civitate, recte novit, quod proverbio dicitur, foro uti. Nam ad extremam uſque ſenectutem ſui ſimilis utramque fortunam pulcherrime tulit; ſuiſque & publicis rationibus ſervire coegit.

1752. Hunc ſecutus eſt poſt menſes duos Joannes Paſcalicus ex eodem Triumvirum ordine, quem vitæ morumque integritas, civile ingenium, & prona ad benefaciendum natura ſummis infimiſque conciliavit. Sexvir cum eſſet publicis conſiliis regundis, totique Senatui facundia ejus & conſilium probaretur, repentino pectoris morbo correptus locum deſeruit. Attamen in aliis reip. procurationibus, & quidem graviſſimis, ſum-

ſumma cum laude verſatus eſt; donec, exacta jam ætate, legum beneficio uſus magiſtratus omnes dimiſit. Quamvis autem valetudine eſſet infirma, noviſque identidem tentationibus afflicta, attamen cura adhibita, & continentia in victu omni atque cultu, ad annum pervenit quintum & octogeſimum, ſuorumque omnium interitum vidit, & fortiſſime tulit. Hæredem reliquit Petrum Grimanum Venetiarum Ducem. Sed hic ipſe ad oſtendenda fortunæ ludibria poſt dies admodum decem vitam finivit. Per multos annos Gymnaſio præfuit: & quamvis in iis magiſtratibus eſſet, ex quibus ſumma rerum pendebat, attamen peculiari cura & providentia de litterarum bono cogitare ſolebat. Ducis quoque faſtigium adeptus, eamdem erga nos voluntatem retinuit, ſummoque ſtudio, ubi opus fuit, ſignificavit. Scilicet rem ſuam agebat. Nam ipſe quoque litteras ac diſciplinas ab adoleſcentia non mediocriter attigerat, & inter doctos numerabatur. Poſita illi in Gymnaſio ſtatua eſt, Titulumque fecit Jo. Antonius Vulpius Humanitatis Profeſſor.

PETRO GRIMANO,

Oblata ultro dignitate, Duci Venetiarum, Republica peregre ac domi bene geſta, Cæſare & Venetis adverſus Turcas icto fœdere inter ſe junctis, civium ſtudia honoreſque promerito, quod Gymnaſium Pa-

tavinum ſexies litterarum bono procuraverit, qui hic publice docent, hanc ſtatuam unanimes, læti, gratique P. C.

Anno MDCCXLI.

Principi optimo, & patriarum legum cuſtodi vigilantiſſimo ſucceſſor datus eſt ſingulari quodam civitatis conſenſu Franciſcus Lauretanus, qui in privata quoque fortuna Principis animum geſſit.

X. Kal. Maj. Joannes Mocenicus Eques ac D. Marci Procurator, M. Antonii Fil.

Pridie Kal. Jun. Joannes Emo D. M. P.

SYNTAGMA XII.

Compromiſſum , & vetera quædam Titulorum Diplomata ad Patavinum Gymnaſium pertinentia.

PAuca hæc antiquitatis Gymnaſticæ monumenta non inutilia mihi viſa ſunt ad particulas quaſdam ſuperiorum Syntagmatum vel confirmandas , vel illuſtrandas . Nec ea tamen integra dare auſus eſſem , quippe verboſa nimis & admodum rudia, niſi eruditum aliquid olerent, & quidem ejus generis, quod amatores hoc tempore magnos viros invenit. Ac ſi omnia protuliſſem, quibus ſum ſcribendo uſus, præſertim in Syntagmate X. *de Scholarium Collegiis* , nimia quadam mole volumen excreviſſet. Reliqua per hos annos undique conquiſita in Gymnaſii tabulario repoſui ; eoque ordine digeſta ſunt ac diſtincta, ut quilibet unus, cujus interſit, nullo negotio ſingula cognoſcere atque examinare poſſit . Idem majores noſtros factitaſſe accepimus: ſed pleraque illorum ſtudio eruta , & publicis tabulis conſignata , jamdiu fato illo, quod carpit humana omnia , periere . Ne nos quidem ſempiterna paravimus ; eademque erit , ut jure timemus, poſterorum querela.

Compromiſſum de Artium Rectore.

MCCCXCIX. Indictione VII. die Veneris XVI. Maji. Paduæ ſub Podiolis extra Magnifici Domini, præſentibus infraſcriptis.

Mag. David de Padua ab Horologio q. Ludovici, Mag. Guaſpar de Sernano de Marchia q. D. Andreæ, Mag. Stephanus de Rhodigio filius Ser Franciſci, Mag. Julianus de Monte S. Mariæ filius Agnolutii, Scholares Artium & Medicinæ habentes ad infraſcripta plenum mandatum ab Univerſitate ſua ſibi tributum, ut dixerunt conſtare publico Inſtrumento ſcripto per Baptiſtam Notarium publicum, de & ſuper omni differentia, quæſtione, & controverſia, quam habent cum Univerſitate Juriſtarum Studii Paduani de facto Rectoris, compromiſerunt ſeſe, & compromiſſum fecerunt de Jure, & de Facto, de Jure tantum, & de Facto tantum in Magnificum D. Noſtrum, aut ejus Commiſſarium, & in egregios Doctores Artium & Medicinæ Mag. Balthaſſarem de Padua, Mag. Bartholomæum de Mantua, Mag. Jacobum a Sancto de Padua, tamquam in Arbitros, Arbitratores, Amicabiles Compoſitores, Laudatores, & communes amicos &c. & inſuper tribuerunt eis licentiam & omnimodam poteſtatem arbitrandi, & bayliam faciendi de prædictis, ut ſupra videbitur & placuerit. Et promiſerunt habere firmum & ratum &c. in pœna Ducatorum 200. *&c. qua ſoluta &c. Omnem poteſtatem, quam habent ab Univerſitate ſua, tranſtulerunt in tres Teſtes.*

Gui-

Guidonus de Vineis q. Joannis de contracta S. Nicolai.

Philippus de Scholaribus olim D. Bernardi.

Franciſcus Branchi de Ferraria.

In Chriſti nomine amen. Anno a Nativitate ejuſdem MCCCXCIX. Indictione ſeptima die Sabbati XVII. Maji, præſentibus Rev. in Chriſto Patre D. Stephano de Carrara Gubernatore Eccleſiæ Paduanæ, Spectabilibus & egregiis militibus D. Ricardo de Valvaſoribus q. D. Henrici, D. Franciſco de Buzzacarenis nato ſpectab. mil. D. Arcuani, D. Aleduſio Forzatè q. D. Aloyſii, D. Joanne de Porcellinis q. D. Uberti, D. Daniele de Rivo q. D. Joannis, ambobus legum Doctoribus, honorab. viris Paulo de Leone q. D. Chechi, Henrico de Gallis Licentiato in Jure Civili fil. ſer Uliverii, Baldo de Bonifaciis de Plombino q. D. Franciſci in utroque Jure Licentiato, Mag. Joanne de Ravenna Cancellario magnifici Domini infraſcripti, q. Magiſtri Convertini, & Galeacio Torniello q. D. Jacobi, & aliis teſtibus rogatis, & ad hæc ſpecialiter convocatis, ſub Lodia Cancellariæ Magn. & Exc. Domini Noſtri D. Franciſci de Carraria Paduæ.

Humani generis adverſario ſuadente Diabolo, qui inter mortales diſcordias & zizanias ſemper nititur ſeminare, gravibus inter Univerſitatem Juriſtarum Canonici & Civilis Juris felicis Studii Paduani ex una, & Univerſitatem Artiſtarum & Medicorum parte ex altera exortis quæſtionibus, controverſiis, differentiis, atque diſſidiis ſuper facto Rectoris, quem ipſi Artiſtæ & Medici ſibi

poſſe eligere & decernere poſtulabant, ſed modo quo fiebat contra aliqua capitula ſententiæ arbitralis, alias latæ in 1360. Indictione 13. die Jovis 20. menſis Martii per Reverendiſſ. in Chriſto Patrem & Dominum D. Pileum tunc Epiſcopum Paduanum, qua cavetur expreſſe, quod Univerſitas ſeu Profeſſio Magiſtrorum & Scholarium Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ poſſit & valeat ſibi Rectorem eligere, qui Rector juriſdictionem habeat in ejuſdem Univerſitatis ſeu Profeſſionis actibus particularibus & univerſalibus Magiſtros in Facultatibus Artium, Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ eligere, & alios actus exercere communiter & diviſim in dicta Univerſitate Artium, Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, prout in ſuis ſtatutis Rector ipſe duxerit ordinandum, cum modificationibus tamen, modis, formis, & reſtrictionibus infraſcriptis per hæc verba in ipſa ſententia ſcripta per Matthæum de Caſtro Valiſmontenſis Segnienſis Diecæſis, filium Domini Joannis de Juſtinopoli, tunc Epiſcopalis Curiæ Paduanæ, & dicti Domini Epiſcopi ſcribam a me Notario infraſcripto viſa & lecta deſcriptis, videlicet quod Rector Univerſitatis prædictæ Artiſtarum, Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, qui præſentialiter eſt, & qui pro tempore fuerit, cum electus fuerit, cum Univerſitate ſua debeat in Cathedrali Paduana Eccleſia a tempore ſuæ electionis infra triduum convenire, & ibidem requiſitis & poſtulatis Rectoribus Ultramontano & Citramontano, qui nunc ſunt, & pro tempore erunt, in eorum manibus ad eos accedens jurare ſtatuta Univerſitatis Doctorum & Scholarium Juris

Ca-

Canonici & Civilis facta & fienda obſervare, quæ tamen huic noſtræ præſenti pronunciationi, & amicabili declarationi, vel alicui parti ejuſdem non eſſent contraria vel adverſa. Et quod quilibet conventuandus in Artibus & Medicina conjunctim, vel diviſim in ſuo conventu publico det & dare teneatur Univerſitati Ultramontanæ Scholarium Juris Canonici & Civilis, ſi erit ſcholaris Ultramontanus, vel Citramontanæ Univerſitati, ſi fuerit Citramontanus, ſoldos duos groſſorum Venetorum; & jurare in manibus ſui Rectoris Univerſitatis Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, recipientis nomine & vice Univerſitatis Ultramontanæ & Citramontanæ Juris Canonici & Civilis, ejuſdem ſtatuta facta & fienda inviolabiliter obſervare, quæ tamen huic noſtræ pronunciationi, & declarationi amicabili, vel alicui parti ejuſdem non eſſent contraria vel adverſa quoquomodo. Et quod a ſententia Rectoris Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, cum litigans, ſeu litigantes coram eo duxerint appellandum, appelletur ad nos, vel noſtros ſucceſſores, vel ad Rectorem Ultramontanum Juris Canonici & Civilis, ſi appellatus fuerit Ultramontanus, vel ad Rectorem Citramontanum, ſi appellatus fuerit Citramontanus; optione data appellanti, an ad nos, vel ſucceſſores noſtros, vel ad dictos Rectores, modo præmiſſo, voluerit appellare. Verum quia quandoquidem contingere poſſet, coram dicto Rectore Univerſitatis Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ Ultramontanum & Citramontanum ſimul litigare, & reſpectu diverſorum Capitulorum cauſæ ipſorum unumquemque appel-

pellare; ne contingat cauſæ continentiam dividi, quæ divideretur, ſi ad Rectores Univerſitatis Ultramontanos & Citramontanos Juris Canonici & Civilis deberent & poſſent modo appellare præmiſſo, cum unus ex dictis litigantibus eo caſu ad unum ex dictis Rectoribus, alius ad alium, appellare teneretur omni modo & deberet; ideo eo caſu propter prædictam cauſam, ne cauſæ continentia dividatur, ad nos ſeu ſucceſſores noſtros debeant ſolummodo appellare. Et quod in caſu, quod dicta Univerſitas Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ quoquomodo Rectore careret, Rector Ultramontanus & Citramontanus, qui nunc eſt, vel pro tempore erit, Univerſitatis Juris Canonici & Civilis per omnia in dictam Univerſitatem Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, Collegialiter ſeu Univerſaliter, vel diviſim juriſdictionem exercere, & ea omnia facere poſſint & valeant, quæ verus & legitimus Rector dictæ Univerſitatis Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ facere poſſet, ſi adeſſet. Univerſitas & Collegium Scholarium Juris Canonici & Civilis ad Magnif. & Exc. Dominum Noſtrum D. Franciſcum de Carraria Paduæ &c. habuere recurſum ſuppliciter poſtulantes ſibi jus fieri, & hujus rei cognitionem & terminationem committi Cancellario Studii Paduani, prout fieri de jure debebat. Qui quidem Mag. Dominus noſcens hujuſmodi differentias, & diffidia, ac controverſias inter dictas Univerſitates ſubortas, Studii Paduani augmento & inſtaurationi, ad quam indefeſſa cura & ſtudio intendit & vacat, admodum fore nocivas, pro illis ſedandis,

&

& partibus ad concordiam, quibus res exiguæ incrementum ſuſcipiunt, reducendis, Univerſitatem & Collegium Scholarium Juris Canonici & Civilis fuit effective precatus, quatenus in ſui complacentiam ſingularem vellent annuere, & eſſe contenti, quod Univerſitas & Collegium Doctorum & Scholarium Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ ſibi libere, modo & forma, quibus poſtulaverat, ſuperius expoſitis & deſcriptis, Rectorem eligeret. Et pendente reſponſo, dictæ Univerſitates Scholarium Juris Canonici & Civilis, quod quia res erat gravis & ambigua, ita celeriter fieri & dari non poterat, Univerſitas & Collegium Doctorum & Scholarium prædictorum Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, ſibi Rectorem elegit Nobilem & ſapientem Virum D. Magiſtrum Benedictum de Salerno ſtudentem in Artibus & Medicina. Propter quod exortæ diſcordiæ, Univerſitatis Juriſtarum animos ferventius accenderunt, ex quo viri boni & probi, communes amici, & Paduani Studii Zelatores, his amovendis diſſidiis, diſcordiis, & controverſiis ſuſcitatis, ſe interponere laudabiliter curaverunt, & cum inſtantia maxima & labore rem adeo deduxerunt concorditer & amice, quod Univerſitates ipſæ Scholarium Juris Canonici & Civilis, ac Doctorum & Scholarium Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, ſeſe compromiſerunt & de Jure & de Facto, & de Jure tantum, & de Facto tantum, de omnibus & ſingulis differentiis, diſcordiis, diſſidiis, & controverſiis, ac juribus hinc inde utrique parti competentibus, videlicet Juriſtarum, ac Artium Phyſicæ,

cæ, Medicinæ, & Naturæ in Magnificum & Exc. Dominum Noſtrum D. Franciſcum de Carraria Paduæ &c. aut ejus Commiſſarium conſtituendum per eum; præterea Univerſitas Scholarium Juris Canonici & Civilis in egregios & famoſos Juris Doctores D. Franciſcum de Zabarellis, Antonium de S. Angelo, ac Petrum de Alvarottis Cives honorabiles Paduanos, ut de hujuſmodi compromiſſo conſtare dicitur inſtrumento publico ſcripto & rogato per Henricum Alemanum Notarium dictæ Univerſitatis, & Notarium publicum, Univerſitas autem Doctorum & Scholarium Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ in egregios & honorabiles Artium & Phyſicæ Profeſſores, Mag. Balthaſſarem Patavum, Mag. Bartholomæum de Mantua, & Mag. Jacobum de Sancto civem Paduanum, electos per ſapientes Artium & Medicinæ Scholares, Mag. David ab Horologio de Padua q. Ludovici, Mag. Guaſparem de Sernano de Marchia, Mag. Stephanum de Rhodigio filium Ser Franciſci, & Mag. Julianum de Monte S. Mariæ filium Agnolutii, ad hoc plenam poteſtatem & mandatum habentes, ut dixerunt contineri in publico inſtrumento rogato per Baptiſtam Bidellum Notarium publicum, tamquam in Arbitros, Arbitratores, Amicabiles Compoſitores, Laudatores, & communes Amicos &c. De quo proxime ſcripto Compromiſſo patet inſtrumento rogato per me Tilium Notarium infraſcriptum.

Quam ob rem Mag. Miles D. Franciſcus Novellus de Carraria, tamquam antedicti Mag. Domini Paduæ ejus patris commiſſarius per ipſum ad

hoc

hoc ſpecialiter conſtitutus, ut conſtat patentibus litteris ipſius Mag. Domini ſuo ſigillo plauſtrali ſigillatis, & prædicti Arbitri, Arbitratores, & Laudatores, prædicti Doctores Juris & Medicinæ virorum bonorum morem gerentes, & cupientes exortas zizanias, diſcordias, differentias, & controverſias radicitus extirpare, & partes ipſas, inter quas amor & fervens charitas eſſe debent, uti convenit, dulciter, fraterne, quiete, & amice convivere & converſari, viſis & auditis partis Juribus utriuſque, & quæ allegare & dicere voluerunt, alleganda & dicenda fuerunt, viam laudi & arbitramenti, pro bonæ amicitiæ conſervatione inter partes ipſas, & Studii incremento ſequentes, Chriſti nomine invocato, pro tribunali ſedentes ſuper banchia quadam ſub dicta lodia, quem locum ad hunc actum ſibi pro juridico & idoneo elegerunt, & idoneum & legitimum eſſe pronunciaverunt, unanimi voluntate & conſenſu pronunciaverunt, laudaverunt, arbitramentati fuerunt, & ſententiaverunt, quod Univerſitas Doctorum & Scholarium Artiſtarum, Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, conſiderata maxime poſtulatione facta per antedictum Mag. Dominum, ut ei velint complacere, & quia in aliis Studii terris Rectorem habent, & quia Artiſtarum ac Medicorum ſtudium in hoc Studio & Civitate Patava plurimum floruit atque floret, & quia toti Civitati & Studio Paduano cedit honori, quod Rectorem habeant, ſibi libere poſſit & valeat pro ſui beneplacito Rectorem eligere, qui juriſdictionem habeat in ejuſdem Univerſitatis ſeu Profeſſionis actibus particularibus & univerſa-

li-

libus, Magiſtros in Facultatibus Artium, Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ eligere, & alios actus exercere communiter & diviſim in dicta ſua Univerſitate, prout in ſuis ſtatutis cavetur & cavebatur, quæ præſenti laudo & ſententiæ non derogent, nec contradicant in toto vel in parte, ut conſuetudo requirit. Item quod Profeſſio ſeu Univerſitas Magiſtrorum & Scholarium Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ ſit, & eſſe debeat Profeſſio & Univerſitas diſtincta, ſeparata, & una per ſe a Profeſſione ſeu Univerſitate Doctorum & Scholarium Juris Canonici & Civilis; abſolventes hujus ſuæ ſententiæ, laudi, ſeu arbitramenti virtute Univerſitatem ipſam Doctorum & Scholarium Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ a juramenti præſtatione obſervationis Statutorum Univerſitatis Juris Canonici & Civilis, de qua ſupra in ſententia, & capitulis ſententiæ latæ per dictum Dominum Pileum tunc Epiſcopum ſit mentio, & ab omnibus aliis in dicta ſententia Domini Pilei contentis, excepto jure appellationis reſervato dictæ Univerſitati Juris Canonici & Civilis, prout in Capitulis ipſius ſit mentio. Decernentes, ſententiantes, atque laudantes, quod capitula ſupradicta in ſententia præſcripta contenta, facientia de interponendis appellationibus mentionem, ut ſupra, rata & firma permaneant, & obtineant efficaciam atque robur, & in omnibus obſerventur. Pro emolumentis autem, quæ aſſequebantur & conſequebantur dictæ Univerſitates Scholarium Juris Canonici & Civilis per ſolutionem, quæ eis ſiebat ex forma ſæpe dictæ ſententiæ, pro conven-

tuan-

tuandis in Artibus & Medicina, & pro præeminentiis, quæ fiebant Dominis Rectoribus Juris Canonici & Civilis pro dicta Univerſitate ſua ſupra deſcriptis, & nunc irritatis & caſſatis, Mag. præfatus D. Franciſcus de Carraria Paduæ &c. quia complacuerit ſibi in petitione ſua ſupradicta, qui reipublicæ curam & profectum, ac Studii ſui auctionem animo ſemper gerens, de hujus laudi & ſententiæ pronunciatione cum aſſenſu & voluntate prænominatorum Doctorum, arbitrorum, & laudatorum ſibi ſecreto narrata lætatur, ut bona fraternitas, & amicitia, atque ſocietas vigeant inter partes ipſas, Deo auſpice perpetuo duratura, & ſcandalorum vitentur incurſus, & Studii detrimenta, Univerſitati prædictæ Scholarium Juris Canonici & civilis contentus eſt dare, donare, tradere, & aſſignare unam domum de muro, & partim de lignamine, ſolariatam, & coopertam de cupis, cum curte & puteo, poſitam Paduæ in contracta S. Antonii confeſſoris, cui cohærent a duabus partibus via publica, & ab una parte Lanzarotus, Benedictus, & Antonius fratres a Stangato, ab una parte jura Fratrum minorum de Padua, & ab alia verſus Albarellam Bonaventura de Curte, perpetuo per ipſam Univerſitatem habendam, tenendam, & poſſidendam, quæ eſt pretii & valoris ducatorum quingentorum aureorum. Quam tamen dictæ Univerſitatis Rector manutenere de affictibus in eo ſaltem ſtatu, quo eſt, debeat, etiam per hoc præſens laudum & ſententiam electionem antedicti Rectoris Univerſitatis dictorum Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ confirmantes. Inſu-

ſuper quod ipſe Rector præſens, & qui pro tempore erit electus per dictam Univerſitatem Doctorum & Scholarium Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, antequam ſumat ſui Rectoratus Caputium variatum, ſeu de Vario, per dies tres, ſignificet per Bidellum ſuæ Univerſitatis Dominis Rectoribus Citramontano & Ultramontano, ſeu Vicerectoribus Juriſtarum, Rectoratus vacante officio, videlicet ipſis Rectoribus ambobus abſentibus a Civitate & deſtrictu Paduano, vel ægritudine occupatis, ita & taliter, quod ipſi Vicerectores non ſint ſpecialiter conſtituti ad iſtum actum tantum, quod certa & determinata die & hora in Cathedrali Eccleſia, in loco aperto & patenti utrique parti, omni dolo & fraude ſummotis ex utraque parte, ita quod nulla injuria hinc inde oriri poſſit, vult ſuſcipere ſui Rectoratus Caputium: & venientibus ſignificatis die & hora, poſſint ipſi Rectores ambo, ſi aderunt, aut alter eorum veniens, ſeu Vicerectores venientes, aut Rector unus, & Vicerector, in dictis caſibus habendo reſpectu, Caputium de Vario imponere dicto Rectori electo, per Univerſitatem Doctorum & Scholarium Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, cum modo & forma debitis, & conſuetis aliis Rectoribus Juriſtarum obſervari, obtenta tamen auctoritate & baylia de ipſa impoſitione Caputii a Cancellario Studii Paduani, & aliter non. Et quod in caſu quo non eſſent præſentes, vel ipſorum Rectorum & Vicerectorum alter, modo ſupraſcripto conſtitutorum, poſſint Caputium ipſum recipere a Domino Epiſcopo Paduano, vel ab ejus Vicario; nec poſſint dicti

cti

Ɛti Rectores præſentes & futuri aliter, nec alio modo, nec ab aliis, quam ſupradictum ſit, Caputium variatum recipere. Et declarant, quod ex nunc dictæ Univerſitates Juriſtarum & Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, omnem auctoritatem & bayliam, quam habent, & habere poſſunt, Domino Epiſcopo Paduano dant & concedunt, ut ipſe Dominus Epiſcopus dictam auctoritatem & bayliam incaputiandi habeat irrevocabiliter. Item quod remittantur, & ex nunc remiſſæ eſſe intelligantur, & ſint omnes injuriæ & offenſæ hinc inde dictæ, factæ, & illatæ tam verbo, quam opere uſque in diem præſentem. Et de cetero utraque pars nullam ſibi ad invicem inferat injuriam, vel offenſam realem, vel verbalem, neque cum actibus, ſignis, vel nutibus, ſculpturis, ſcripturis, picturis, vel aliquo alio modo, forma, vel ingenio.

Item quod Domini Rectores Juriſtarum Artium Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, præſentes & futuri teneantur pœnas apponere obloquentibus de ſententia prædicta, vel ſe invicem injuriantibus ob cauſam prædictam, vel improperantibus de præteritis vel de præſentialiter apparentibus circa officium Rectoratus dictorum Dominorum Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, & pœnas impoſitas exigere, atque contra importunos & protervos, pœnas non metuentes, & contrafacientes importune & proterve, procedere, & taliter eos punire & coarctare, quod eorum pœna, aliis contrafacere volentibus, cedat in exemplum.

Item quod antedictæ Univerſitates Juriſtarum,

ac Artium Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ infra dies decem proxime futuros teneantur & debeant præſentem ſententiam, arbitrium, ſive laudum approbare, ratifacere, & laudare, ac juramento confirmare in pœna infraſcripta.

Reſervavit autem antelatus Mag. Miles Dominus Franciſcus Novellus de Carraria Mag. Genitori ſuo Domino Franciſco de Carraria arbitro, arbitratori, & laudatori ſupradicto, tamquam ejus Commiſſarius, & ſibi, de voluntate & conſenſu ceterorum dictorum arbitrorum, & ipſi arbitri cum eo, poteſtatem bayliam, & plenam facultatem, hanc eorum ſententiam, arbitrium, ſive laudum dilucidandi, declarandi, mutandi, corrigendi, & interpretandi uſque ad ſex menſes proxime futuros, ut ei videbitur, & placebit.

Quam quidem ſententiam, ſive laudum &c. preceperunt, & mandaverunt attendi per ipſas partes debere, & obſervari inviolabiliter, & ad plenum, in pœna perjurii, & Ducatorum quingentorum auri, applicanda parti obſervanti per contrafacientem &c. Qua ſoluta, nihilominus præſens laudum, & ſententia perpetuam obtineat firmitatem &c.

MCCCXCIX. Ind. VII. die Martis XX. Maj. Paduæ ſub Lodia Cancellariæ, præſentibus Domino Daniele de Rivo, D. Gualdo de Plombino, D. Simone de Noenta, Boniacobo de Monte Lanciano, Mag. Petro de Tomaſiis q. Tomaſii de Venetiis habitante in contracta Fallaroti, & Mag. Juliano filio Agnolutii de Monte S. Mariæ in Georgio, Scholaribus Medicinæ, & Mag. Juliano habitante

in

in contracta Arenæ, teſtibus rogatis & ad hoc convocatis.

Mag. Guaſpar q. D. Andreæ de Sernano de Marchia, Scholaris Medicinæ & Artium, Syndicus & Procurator, ac Syndicario & Procuratorio nomine Univerſitatis Doctorum & Scholarium Artium Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ, ad hoc ſpecialiter conſtitutus, ut conſtat publico Inſtrumento rogato & ſcripto per Baptiſtam Bidellum dictæ Univerſitatis q. Nicolai de Contracta Domus Dei, Notarium publicum, & juravit dicto nomine, ac promiſit ipſam firmam, ratam, & gratam habere, tenere, attendere, & obſervare, & non contrafacere, ſeu contravenire &c. in pœna in ſententia contenta &c. qua ſoluta, vel non &c.

Eiſdem milleſimo, Indictione, & loco, die Mercurii XXI. Menſis Maii, præſentibus Domino Joanne de Porcellinis, Domino Daniele de Rivo, Domino Simone de Noenta, Domino Henrico de Gallis, Domino Bonfranciſco de Leone, Domino Mag. Joanne de Janua, Nicolao de Vigontia, & Jacobo Bariſoni de Vigontia, Teſtibus rogatis, & aliis.

Egregii Domini Rectores Juriſtarum Univerſitatis ſtudii Paduani, videlicet Dominus Franciſcus a Menla de Catalonia, Rector Dominorum Ultramontanorum, & Dominus Joannes Fuſſuda de Regio Calabriæ, Rector Dominorum Citramontanorum, Syndici & Procuratores, ac Syndicario & Procuratorio nomine dictarum Univerſitatum Utriuſque Juris, ad hoc ſpecialiter conſtituti, ut dixerunt conſtare publico Inſtrumento rogato per Henricum

M 2 *q. Hen-*

q. Henrici de Pruſſia, Notarium dictarum Univerſitatum, Notarium publicum, qui etiam dixit ſe de dicto Inſtrumento rogatum, laudaverunt, approbaverunt, ratificaverunt, & omologaverunt ſententiam ultraſcriptam inter dictas Univerſitates ex una, & Univerſitatem Artiſtarum Medicinæ, Phyſicæ, & Naturæ parte ex altera &c. & juraverunt eam firmam, ratam, & gratam habere, & tenere perpetuo, & non contrafacere, ſeu contravenire &c. in pœna in ſententia, ſive laudo contenta &c. qua ſoluta, vel non &c.

Franciſcus Novellus de Carraria, ordine tertius, in hoc Compromiſſo Procurator Franciſci Patris.

Diploma Equeſtris dignitatis Juriſtarum Rectori Joanni Beltramino de Caſatis Conceſſæ.

Hieronymus Priolus Dei gratia Dux Venetiarum ad perpetuam rei memoriam. Conſuevere majores noſtri multis variiſque modis animi egregiæque eorum voluntatis affectum declarare in eos, quos & generis nobilitate, & moribus, & virtute præditos agnoviſſent. Cum igitur ad nos nuper acceſſerit magnificus & excellens Doctor D. Joannes Beltraminus de Caſatis, olim in Gymnaſio Patavino Juriſtarum Rector, vir ſingulari probitate, ac perſpicua erga nos noſtramque Remp. fide plurimum commendatus, qui etiam animum

&

& ingenium ad res præclaras agendas præſeferat aptiſſimum, ipſum D. Joannem flexis genibus ante nos poſitum, in frequenti nobilium civiumque noſtrorum corona, ſervatis, ut moris eſt, debitis ceremoniis, & ſolemnitatibus conſuetis, enſe, cingulo, & aureis calcaribus accinctum ad gradum & dignitatem militaris ordinis auratique Equitis libenter promovimus & ereximus, ea quidem prærogativa, ut pro decore militiæ, & ejus virtutis meritis Eques ſplendidus in poſterum appelletur & nominetur, ei facultatem & auctoritatem impertientes perpetuo gerendi aureas veſtes, arma, zonam, calcaria, aliaque aureata cujuſvis generis militaria ornamenta, nec non gaudendi quocunque honore ac dignitate, præminentia, juriſdictione, facultate, & privilegiis ſingulis ad veram inſignemque militiam & Equeſtre decus pertinentibus. Quæ omnia prompto & alacri ille ſuſcepit animo; fidemque ſuam jurejurando obſtrinxit, quemadmodum verum & ex omni parte perfectum militem decet. In cujus rei teſtimonium has noſtras fieri, et ſigillo noſtro argenteo pendente juſſimus communiri.

Datæ in noſtro Ducali Palatio die ultimo Septembr. Indictione IV. anno MDLX.

AD S. THEOLOGIAM

Privilegium Fr. Jo. Baptiſtæ de Padua ex ordine Prædicatorum, quo primum S. Theologiæ Baccalarius, deinde Doctor creatus eſt Anno MCCCLXXX.

I.

IN Chriſti nomine Amen. Anno a Nativitate ejuſdem MCCCLXXX. Ind. 3. Die Lunæ 16. Januarii.

Raymundus Dei et Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Paduanus et Cancellarius etc. Univerſis et ſingulis præſentes noſtras litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

Univerſitati veſtræ notum facimus, et fidem plenam per præſentes, quod nuper ad noſtram accedens præſentiam Venerabilis et Religioſus Vir Fr. Jo. Baptiſta de Padua Ordinis Fratrum Prædicatorum, quaſdam litteras nonullorum Superiorum ſuorum, unam videlicet Reverendiſſ. in Chriſto Patris et Domini Fr. Nicolai Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Car*dinalis Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum Profeſſi, ac ejuſdem ordinis auctoritate Apoſtolica Vicarii Generalis, et duas alias litteras Ven. et Religioſi Viri Domini Fr. Aldovrandini Ferrarienſis Prioris Provincialis Lombardiæ inferioris, et Vicarii Generalis Ordinis antedicti, veras, non vitiatas, non cancellatas, non abraſas, non corruptas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus*

ſus vitio et ſuſpicione carentes, veris ſigillis dictorum Dominorum, unam videlicet ſigillo dicti D. Cardinalis Vicarii memorati, et alias duas ſigillo dicti P. Provincialis ſigillatas more ſolito, in pendenti, Nobis tamquam Epiſcopo et Cancellario memorato præſentavit; Noſque eaſdem litteras ea qua decuit reverentia recepimus, ac per Jvanum Notarium noſtrum legi ac publicari fecimus, quarum quidem litterarum trium tenores per ordinem deſcribuntur: et primo tenor litteræ ſupradicti D. Cardinalis Vicarii dicti Ordinis ſequitur, et eſt talis.

Nos Fr. Nicolaus inſpiratione Divina Tituli S. Cyriaci ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Fratrum Ordinis Prædicatorum Profeſſus, ac ejuſdem ordinis auctoritate Apoſtolica Vicarius Generalis, dilecto in Chriſto Fr. Jo. Baptiſtæ etc.

. Tenor vero unius litteræ dicti Provincialis de verbo ad verbum ſequitur, et eſt talis.

In Dei Filio ſibi cariſſimo Fr. Jo. Baptiſtæ Priori Paduano Ordinis Fratrum Prædicatorum Fr. Aldovrandinus Ferrarienſis Prior Provincialis Lombardiæ inferioris ac Vicarius etc. Tenor autem alterius litteræ ejuſdem D. Provincialis ſequitur, et eſt talis.

. In Dei Filio ſibi cariſſimis Fratribus Jo. Baptiſtæ etc.

Poſt quarum quidem litterarum præſentationem, receptionem, et publicationem Venerab. et Religioſus Vir. D. Fr. Nicolaus de Mazimago de eodem Conventu Provinciæ Lombardiæ inferioris Ord. Prædi-

dicatorum, actu Regens in Conventu Paduano Ord. antedicti, coram nobis præſentialiter conſtitutus auctoritate ſupraſcriptarum litterarum tam ſibi, quod dictum D. Fratrem Jo. Baptiſtam præſentare poſſit, quam ipſi D. Fratri Jo. Baptiſtæ, quod ad infraſcripta valeat præſentari, ſpecialiter; & expreſſe conceſſa, pariter & commiſſa, prout in litteris ſupraſcriptis D. Provincialis prædicti plenius vidimus contineri, Nobis tamquam Epiſcopo & Cancellario memorato actualiter præſentavit ſupraſcriptum Religioſum & prudentem & honeſtum Virum D. Fratrem Jo. Baptiſtam de Padua Ordinis ſupradicti præſentem, & hoc devote & cum inſtantia debita poſtulantem, ad Lecturam habendam & actu regendam in Conventu prædicto pro curſu ad Magiſterium & gradum Magiſterii Theologicæ facultatis et ſacræ Paginæ congruis conſuetiſque honoribus conſequendum et aſſumendum, Nobis ſimiliter ſupplicando quatenus ipſum D. Fr. Jo. Baptiſtam ad præmiſſam Lecturam pro curſu prædicto, pro anno præſenti, et præſenti tempore hyemali admittere dignaremur, ſecum de ſpeciali gratia, ex certis cauſſis rationabilibus et honeſtis tunc expreſſis benigniter diſpenſantes, quo non obſtante, quod de tempore æſtivo in ſupraſcriptis litteris mentio fiat, jam dictam Lecturam præſenti hyberno tempore pro anno præſenti inchoare et exequi poſſit, et licite expedire. Nos autem de vita, moribus, et converſatione, ac ſcientiæ experientia, et probitate dicti D. Fr. Jo. Baptiſtæ teſtimonio præhabito fide digno, decernentes eumdem ſufficientem, idoneum, habilem, benemeritum, atque dignum, me-

mediantibus ejus ſcientia, moribus, et virtutibus multiplicibus ad dictam Lecturam, ut præmittitur, obtinendam, viam et praambulum aſſumendi Magiſterii, dignitatis, et Doctoratus honoris; ideoque prædictis ſupplicationibus, utpote juſtis, rationabilibus, et honeſtis, condeſcendentes, et benigne annuentes favoribus gratioſis, eumdem D. Fr. Jo. Baptiſtam, ſecum de tempore, ut ſuperius expreſſum eſt, et ſupplicatum extitit, de ſpeciali gratia diſpenſantes, in Baccalarium ad eam tempore hyemali, pro curſu Magiſterii ſupradicti, in Conventu prædicto incheandam, exequendam, et congruis conſuetiſque expeditionibus, et honoribus terminandam, et finiendam, auctoritate qua fungimur in hac parte omni modo, jure, et forma, quibus melius et efficacius potuimus, et poſſumus, acceptavimus et admiſimus, acceptamus et admittimus per præſentes, In quorum etc.

II.

Univerſis et ſingulis præſentes litteras, ſive inſtrumentum inſpecturis Raymundus Dei, et Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Paduanus, ac Cancellarius Univerſitatis Studii Paduani ſalutem et ſinceram in Domino charitatem.

Redolent, ut aromata, virtutum præmiis decorati, Orbiſque Doctoribus, et Magiſtris, velut cælum ſideribus, exornatur, per quos ſanantur mores, et vitia deteſtantur, et quæque devia ad rectum tramitem deducuntur. Divinæ ſiquidem legis ratio eſt, ut poſt longos ſtudiorum labores fructus be-

benemeritis exoptatus in præmium, et debita ſublimitatis dignitas tribuatur. Quapropter noverit veſtra Univerſitas, quod nos conſiderantes bene laudabile atque dignum, ſtudiorumque labores mereri, ut hi, qui a ſuis quaſi cunabulis vitam ſuam diſciplinis dedere ſcholaſticis, quoſque ſcientiæ prædotavit nobilitas, debita virtutum præmia conſequantur, quo poſt longævi palmam laboris Doctoratus dignitate, et honore Magiſterii decorentur, ut ſic digna et hilari remuneratione gaudentes ſtudendi, et bene agendi exemplum in poſteros tribuant, et ſequelam. Pridem Venerabilem, Religioſum, et ſcientificum Virum Fr. Jo. Baptiſtam Ord. Fratrum Prædicatorum de Padua Nobis tamquam Epiſcopo et Cancellario memorato per Ven. et Religioſum Virum Fr. Nicolaum de Forojulii ejuſdem Ordinis in S. Theologia Baccalarium de commiſſione, licentia, et mandato ſibi factis per Superiorum ſui Ordinis litteras, nomine et vice Magiſtri Guidonis de Bononia ejuſdem Ordinis, dictæ S. Theologiæ Profeſſoris, ipſum præſentare, ac doctorare, et expedire debeatis, ut patet per litteras Superiorum ſuorum Ordinis prædicti ſibi conceſſas præſentatum, ejus exigentibus meritis, et virtute, ad Lecturam incheandam proſequendam, et debitis honoribus terminandam, ut moris eſt in dicto Conventu Paduano pro curſu ad Magiſterii dignitatem, et Doctoratus gradum in dicta Sacra Pagina, et Facultate Theologica conſequendum acceptavimus et admiſimus, prout per alias noſtras litteras eidem Fr. Jo. Baptiſtæ conceſſas plene legitur contineri. Deinde vero poſt Lecturam hujuſmodi

jam

Digitized by Google

jam finitam pro curſu prædicto, eodem Fr. Jo. Baptiſta de mandato, de quo ſupra, per dictum Magiſtrum Guidonem de Bononia Nobis denuo præſentato ad rigoroſum privatum examen in dicta facultate Theologica ſubeundum pro Magiſterii et Doctoratus officio aſſumendo; Nos præfatum Fr. Jo. de ipſius Lecturæ hujuſmodi perfectione præhabita cum debitis et conſuetis ſolemnitatibus, fide prius legitima Nobis facta Dominorum dictæ S. Theologiæ Doctorum Paduæ Regentium, et exiſtentium, Univerſitate more ſolito convocata, inter quos interfuerunt dictus Mag. Guido de Bononia dicti Ord. Fr. Prædic. Mag. Paullus de Arimino Regens Paduæ Ord. Fr. Eremitarum, Mag. Andreas de Padua ejuſdem Ord. et Mag. Jacobus de Placentia Ord. Fr. Minorum per eoſdem Doctores coram Nobis in noſtro Epiſcopali Palatio Paduano ſub dicto Mag. Guidone, obſervatis debitis et conſuetis ſolemnitatibus, in dicta ſacra Pagina et facultate Theologica examinari fecimus diligenter; et quia idem Fr. Jo. Baptiſta in hujuſmodi examine rigoroſo legendo, repetendo, diſputando, argumentis, quæſtionibus, et oppoſitionibus ſibi factis reſpondendo, ac dubia quæque commendabiliter declarando, quæſtioneſque decidendo, et terminando ſufficienter ſe habuit, adeoque per eoſdem doctores unanimiter, concorditer, et nemine diſcrepante, mediante eorum juramento, approbatus eſt in facultate prædicta, ſufficienſque omnino repertus et etiam reputatus, Nos tunc eidem Fr. Jo. Baptiſtæ, ut præmittitur, examinato, et ſufficienti reperto, reputato, et etiam approbato in noſtra præſentia

con-

conſtituto ſubeundi examen publicum, et recipiendi gradum Magiſterii Doctoratuſque, et honoris Cathedræ Magiſtralis de cetero quandocumque ſibi placuerit in facultate prædicta, celebratis etiam Veſperiis, ac ſolemnitatibus aliis in talibus conſuetis, plenam licentiam, et omnimodam dedimus facultatem; eidemque Fr. Jo. Baptiſtæ diſtricte præcipiendo mandavimus, quatenus deberet per ſuprascriptum Mag. Guidonem de Bononia expediri; et inde etiam ſimiliter præcipiendo mandavimus ipſi Mag. Guidoni ibidem præſenti in virtute præſtiti juramenti, quatenus ſæpe dictum Fr. Jo. Baptiſtam amodo ad omne ſui beneplacitum expedire, doctorare, et Magiſtrare deberet, Magiſtralia ſibi quæque inſignia conferendo, et alia faciendo, ut moris eſt Univerſitatis ſtudii Paduani. Nunc autem Univerſitate Magiſtrorum prædictorum, et aliorum Doctorum, et Scholarium, tam Religioſorum, quam non Religioſorum cuiuſcumque facultatis dicti Studii Paduani, more ſolito convocata in noſtra Cathedrali Eccleſia Paduana ad examen, quod publicum nuncupatur, obſervatiſque omnibus et ſingulis ſolemnitatibus, quæ in hujuſmodi actibus fieri conſueverunt in eodem Studio Paduano, receptoque teſtimonio prædictorum Doctorum ibidem aſſiſtentium, quod idem Fr. Jo. Baptiſta ſufficiens, idoneus, atque dignus erat ad recipiendum in facultate Theologica ſupradicta Doctoratus gradum, et Magiſterii dignitatem, quodque alias in eo bonorum morum decor, litterarumque peritia virtutem et ſcientiam decorabant, eidem Fr. Jo. Baptiſtæ examinato, ut prædiximus, et approbato ſub Doctori-

ctoribus ſupradictis publice, auctoritate, qua tam ex antiqua et approbata conſuetudine Studii Paduani, quam ex Privilegiis Apoſtolicis, et Indultis plene fungimur in hac parte, honorem Magiſterii, et Cathedræ Magiſtralis, et doctoratus gradum in dicta Sacra Pagina, et facultate Theologica impertimur, et concedimus per præſentes, ipſum ad aliorum Doctorum numerum extollendo, et etiam aggregando; ſibi omnem aſcendendi Cathedram Magiſtralem, ac legendi, diſputandi, quæſtiones terminandi, doctorandi, docendi, et regendi, omnes Doctorales actus exercendi, et ſingula faciendi ubique terrarum, quæ ad Magiſtros et Doctores hujuſmodi Theologicæ facultatis quoquo modo pertinere noſcuntur, plenam et liberam tenore præſentium damus et concedimus facultatem, et tribuimus omnimodam poteſtatem. In quorum etc.

Datum et actum Paduæ in Eccleſia ſupradicta ſub anno Dominicæ Nativitatis 1380. *Ind.* 3. *die Dominico, penultimo menſis Aprilis, regnante Mag. etc. præſentibus Ven. et ſcientificis viris D. D. Fr. Petro Abbate Monaſterii S. Stephani de Carraria, et Galvano de Bononia Decretorum Doctoribus Bartholomæo de Capitevaccæ, Aicardino de Alvarottis de Padua, Jo. De Capitaneis de Mediolano, Ubertino de Lampugnano, Antonio de Miliaria, & Pizzacomino de Padua, Legum Doctoribus ac Magiſtris, Jacobo de Arquada, Jo. de Dundis, Marſilio de S. Sophia, et Jo. Franciſco de Monteſilice Artium & Medicinæ Doctoribus, una cum Doctoribus Sacræ Theologiæ prædictis, & aliis quam-*

quampluribus, teſtibus ad hæc vocatis ſpecialiter & rogatis.

Jvanus Notarius ita eſt.

Laureæ Privilegium conceſſum Fr. Ugolino de Parachaſiis de Camerino ex ordine Fratrum Prædicatorum Anno MCCCLXXXI.

RAymundus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Paduanus, ac Cancellarius Univerſitatis ſtudii Paduani univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino.

Redolent, ut aromata etc. Pridem Venerabilem, et Religioſum, et ſcientificum virum Fr. Ugolinum de Parachaſiis de Camerino, Ord. Præd. Nobis per Rev. et Religioſum virum Mag. Nicolaum de Foroiulio ejuſdem Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Profeſſorem, Regentem in Conventu Paduano Ord. prædicti de licentia et commiſſione ſui Ord. præſentatus ad Lecturam Libri ſententiarum inchoandam, proſequendam, et etiam terminandam in dicto Conventu Paduano, ut moris eſt, pro curſu ad Magiſterii dignitatem, et Doctoratus gradum, in dicta Sacra Pagina, et facultate Theologica conſequendum, acceptavimus et admiſimus cum juramento, et modis in talibus uſitatis. Deinde vero poſt dictam Lecturam eodem Fr. Ugolino per dictum Mag. Nicolaum de Foroiulii nobis iterum præſentato ad rigoroſum examen in dicta facultate Theologica ſubeundum, Nos eumdem Fr. Ugolinum

D.

D. D. Sacræ Theologiæ Magiſtrorum, et Doctorum Paduæ Regentium et exiſtentium, Univerſitate more ſolito convocata, inter quos fuerunt Mag. Nicolaus de Alexandria Regens de Ordine Minorum, Mag. Paullus de Arimino Regens de Ordine Eremitarum, Mag. Jacobus Corteſe de Placentia Ordinis Minorum, Mag. Jo. Baptiſta de Padua, et Mag. Joannes de Monteacuto de Anglia Ordinis Prædicatorum per eoſdem Doctores et Magiſtros coram Nobis in noſtro Epiſcopali Palatio Paduano ſub dicto Mag. Nicolao de Foroiulio, obſervatis debitis et conſuetis ſolemnitatibus in dicta Sacra Pagina et facultate Theologica examinari fecimus diligenter; et quia idem Fr. Ugolinus in hujuſmodi examine rigoroſo argumentis, quæſtionibus, legendo, diſputando, et oppoſitionibus ſibi factis reſpondendo, et dubia quæque commendabiliter declarando, quæſtioneſque propoſitas decidendo, ſufficienter ſe habuit, adeo quod per eoſdem Doctores unanimiter, concorditer, et nemine diſcrepante, mediante eorum juramento, approbatus eſt in facultate prædicta, Nos ex tunc eumdem Fr. Ugolinum in noſtri præſentia, ut præmittitur, examinatum, ſufficientemque repertum, et etiam approbatum pronunciavimus et declaravimus idoneum, et ſufficientem, benemeritum atque dignum, ac etiam approbavimus, et approbatum eſſe decrevimus ad gradum Magiſterii, Doctoratuſque, et honorem Cathedræ Magiſtralis recipiendum et obtinendum in facultate Theologica ſupradicta, eidem Fr. Ugolino expreſſe mandantes, quatenus per ſupraſcriptum Mag. Nicolaum de Foroiulio expediri deberet, et

exin-

exinde etiam ſimiliter præcipiendo mandavimus ipſi Mag. Nicolao præſenti in virtute præſtiti juramenti, quatenus eumdem Fr. Ugolinum amodo ad omne ſui beneplacitum publice licentiare, veſperiare, magiſtrare, et expedire deberet, ut moris eſt Univerſitatis Studii Paduani. Præterea ſubſequenter Univerſitate Magiſtrorum prædictorum, et aliorum Doctorum, et Scholarium tam Religioſorum, quam non Religioſorum cujuſcumque facultatis Univerſitatis prædictæ, die ordinata more ſolito convocata et congregata in noſtra Cathedrali Eccleſia Paduana, ſupraſcriptus Mag. Nicolaus de Foroiulio attendens ſufficientiam ſupraſcripti Fr. Ugolini, ut præmittitur, approbatam de noſtra auctoritate, licentia, et conſenſu coram Univerſitate prædicta, ut præmittitur, convocata, nobis etiam præſente in eadem Eccleſia eidem Fr. Ugolino licentiam et omnimodam facultatem publice dedit, tribuit, et conceſſit, facienſque eum Magiſtrum in Theologia dedit eidem licentiam aſcendendi Cathedram Magiſtralem, et legendi, diſputandi, quæſtiones determinandi, docendi, et regendi, omneſque actus Magiſtrales exercendi, et ſingula faciendi Paduæ, et ubique terrarum, quæ ad Magiſtros hujuſmodi Theologicæ facultatis quoquomodo pertinere noſcuntur, demum vero ſubſequenter præmiſſis actibus, ſucceſſivis temporibus, ut præmittitur, ſic peractis feliciter et finitis, ac etiam interim veſperiis die ſtatuta factis, et habitis in Eccleſia ſui Ordinis in præſentia Magiſtrorum in Theologia, ac etiam aliorum Magiſtrorum, et Scholarium tam Religioſorum, quam non Religioſorum cuiuſcnmque facul-

ta-

tatis Univerſitatis prædictæ, et ſolemnitatibus aliis obſervatis, quæ in talibus obſervari conſueverunt ſecundum ritum et formam, antiquamque et approbatam conſuetudinem Univerſitatis prædictæ, eadem Univerſitate iterum die ſtatuta, videlicet die ultimo Martii infraſcripto, convocata, et congregata in ſupraſcripta noſtra Eccleſia Paduana, Nos Raymundus Epiſcopus et Cancellarius infraſcriptus pro expeditione et omnimoda concluſione omnium prædictorum coram Univerſitate prædicta, necnon præſentibus etiam teſtibus, et aliis infraſcriptis prædicti Fr. Ugolini de Camerino Capiti Biretum Sphæricum in ſignum Doctoratus, et Magiſterii impoſuimus; ipſumque, ut moris eſt, in medio prædictæ Eccleſiæ noſtræ, et in pleno omnium conſpectu inſignia quoque Doctoralia et Magiſtralia conferendo, prædictorum Magiſtrorum Theologiæ conſortio aggregavimus, debitis ad hæc conſuetiſque et omnimodis ſolemnitatibus obſervatis, ita ut amodo idem Mag. Ugolinus legere, diſputare, quæſtiones determinare, textus S. Theologiæ, et etiam dicta Doctorum exponere, omniaque alia, et ſingula facere, et exercere libere et expedite poſſit et valeat Paduæ, et ubique locorum, quæ alii Doctores et Magiſtri facultatis prædictæ facere poſſunt, et debent, et quæ ad Magiſtros ipſos quomodolibet pertinere noſcuntur etc.

Datum et actum Paduæ in noſtra Eccleſia ſupradicta A. Dominicæ Nativitatis 1381. *Ind. IV. die Mercurii ultimo menſis Martii, præſentibus ſupraſcriptis Magiſtris Nicolao de Alexandria, Paullo de Arimino, Jacobo de Placentia, Jo. Baptiſta de Padua,*

dua, et Joanne de Monteacuto de Anglia, omnibus S. Theologiæ Magiſtris, ac D. D. Fr. Petro Abb. S. Stephani de Carraria, Angelo de Caſtilione Aretino, Archipresbytero Paduano, Gallicano de Bononia, et Nicolao de Padua, omnibus Decretorum Doctoribus, necnon Dominis Joanne de Capitaneis, Ubertino de Lampugnano, Aycardino de Padua, Pizzacomino de Padua, omnibus Legum Doctoribus, et quamplurimis aliis Magiſtris et Doctoribus, et Scholaribus Univerſitatis Paduanæ prædictæ inibi aggregatis, teſtibus ad hæc ſpecialiter vocatis, et rogatis etc.

AD CHIRURGIAM

Privilegium conceſſum Mag. Joanni de Recaneto Chirurgo A. MCCCXCII.

NOs Galeacius de S. Sophia Doctor. Med. et Art. Præpoſitus Collegii Ven. Doctorum Med. et Art. Studii Paduani, vobis omnibus et ſingulis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem in Domino. Cum Jus utrumque teſtetur, quod ſcholaſticis diſciplinis inſiſtentes congrua dignum eſt remuneratione gaudere; et qui voluntariis ſtudiorum neceſſitatibus ſe ſponte ſubjiciunt, deceat et congruat, ut debitis conſolentur proviſionibus; idcirco vobis omnibus et ſingulis prædictis intimamus, inſinuamus, notificamus, et ad veſtram deducimus notitiam tenore præſentium, quod providus et diſcretus vir Mag. Joannes fil. Mag. Andreæ de Recaneto Chirurgus ab anno Domini 1387. *die*

die 13. *M. Januar. uſque ad diem datæ præſentium in ſtudio Paduæ continue horam traxit, ſtudio Chirurgiæ inſiſtendo diebus et horis debitis, intrando ſcholas et Auditorium Ven. Doctorum Mag. Jacobi de Zanettinis de Padua Art. et Med. Doctoris legentis ordinarie Medicinam, Nicolai de Monteſilice Doctoris Medicinæ, Benedicti de Galmarellis de Padua Doctoris Med. et Artium legentium Chirurgiam, Gulielmi de S. Sophia Doct. Med. et Art. legentis ordinarie Medicinam, Mag. Franciſci de S. Sophia Doct. Med. et Art. legentis extraordinarie Medicinam, Bartholomæi de S. Sophia Doct. Med. et Art. legentis practicam Medicinam, eo tempore quo legebat, ipſo Mag. Joanne exiſtente in præfato ſtudio Paduæ, continue lectiones prædictorum Doctorum frequentando, omnes alios actus ſcholaſticos ſolemniter exercendo; formamque et ordinem ſtatutorum Collegii noſtri fieri conſuetum plenarie adimplevit de auditionis tempore, reſponſionibus quæſtionum, lectura libri, practicaſſe per annum: et ideo Mag. Joannes expeditus de omnibus actibus ſuis neceſſariis contentis in dictis ſtatutis, cupiens de laboribus ſuis præmiari, nec aliter poſſe niſi per arduum paſſum rigoroſi examinis percipiens, ut de ejus ſcientia & ſufficientia omnibus clare et evidenter appareat, ſubjecit ſe eidem examini Chirurgiæ, infraſcripta die eidem conſignata, prædicto examine Chirurgiæ ſubeundo coram Ven. Doctoribus Medicinæ Collegii noſtri in Capitulo Eecleſiæ majoris Paduæ ibidem congregatis. Mag. Joannes prædictus in eodem ſuo examine Chirurgiæ taliter ſe geſſit bene legendo, argumenta*

 pro

pro et contra facta eidem per Doctores plenarie abſolvendo et eiſdem ſolemniter reſpondendo, quod ab omnibus Doctoribus Med. ibidem præſentibus de numero Collegii noſtri Paduæ, divina favente Gratia unanimiter et nemine diſcrepante, laudabiliter et honorifice in dicta ſcientia Chirurgiæ extitit approbatus. Quapropter habita clara informatione, viſaque ejus ſcientia et ſufficientia, ipſum tamquam dignum, ſufficientem, et benemeritum in dicta ſcientia Chirurgiæ approbavimus; et nomine et vice totius Collegii prædicti per præſens privilegium noſtrum approbamus, et ipſum pro approbato haberi volumus et declaramus; et dicto Mag. Joanni damus et concedimus licentiam et auctoritatem ubique legendi, diſputandi, determinandi, medendi, et totos actus Chirurgales exercendi tamquam ſufficienti et experto in eadem Chirurgia; et quod poſſit portare aurum, et veſtes ornatas auro, et ſuffultas cujuſcumque ſuffulturæ voluerit, præter Varum, et Armerinum: et delato eidem juramento per nos ſecundum formam Statutorum Collegii noſtri more ſolito in præſentia infraſcriptorum teſtium, et mei Notarii infraſcripti, juravit prædictus Mag. Joannes corporaliter ad ſacra Dei Evangelia, manu tactis ſcripturis in manibus noſtris, obedire nobis in licitis et honeſtis, ſi contigerit ipſum Paduæ permanere, et nunquam contra Collegi*um noſtrum contrarium conſilium vel auxilium præſtiturum, et ad defenſionem et protectionem totius Collegii noſtri ubique opponere, manutenere, et obſervare Statuta ipſius Collegii nova et antiqua; et ſi inter prædicta eſſet aliqua contradictio, ſerva-*

re

re nova, et dimittere antiqua, et augere honores, et libertatem præfati Collegii noſtri totis viribus atque poſſe. Et in eodem ſuo examine interfuerunt omnes Doctores Collegii Med. et Art. qui erant tunc in Civitate Paduæ, primo Mag. Galeacius de S. Sophia, Med. et Art. Doctor, Præpoſitus ſupraſcriptus, Mag. Nicolaus de Rido; Mag. Nicolaus de Monteſilice, Mag. Petrus de Pernumia, Mag. Rizzardus de Guannainis de Padua, Mag. Gulielminus de Noale Doctores Med. Mag. Benedictus de Galmarellis de Padua, Mag. Gulielmus de S. Sophia de Padua, Mag. Bartholomæus de S. Sophia de Padua, Mag. Jacobus a Croſaria S. Antonii de Padua, Mag. Franciſcus de S. Sophia de Padua, Mag. Balthaſſar de Padua Doctores Med. et Artium, Mag. Donatus de Clugia, Mag. Jo. Laurentius de Padua Doctores Artium, Mag. Bartholomæus de Mantua Doctor Art. et Licentiatus in Med. Mag. Franciſcus de Lido Doctor Art. Super quibus omnibus teſtes recepimus fide dignos tam præfatos ſuos Doctores, quam etiam alios plurimos Mag. et Doctores ejuſdem notitiam habentes. In quorum teſtimonium omnium præmiſſorum præſentes litteras fieri fecimus de conſilio & conſenſu DD. Conſiliariorum et totius Collegii noſtri prædicti; et ad majoris roboris firmitatem per Jacobum Bidellum Generalem Notarium et Officialem noſtrum juſſimus de prædictis publicum Inſtrumentum, ſeu Privilegium confici, et ſigilli Collegii noſtri appenſione muniri.

Datum et actum Paduæ in capitulo Eccleſiæ Majoris Paduæ 1392. *Ind. XV. die Veneris* 5.

 M. A.

M. Aprilis, præſentibus Hon. et diſcretis Viris Mag. Angelo de Roma Doct. Art. Mag. Corteſia de Capitibus Vaccæ Licentiato in ſcientia Chirurgiæ, Mag. Joanne nato in Venetiis filio Mag. Thadæi Chirurgi de Ferraria, Mag. Joanne filio Ser Matthæi de Recaneto, Mag. Smerejo Chirurgo de Padua, Mag. Thoma fil. Mag. Lucæ de Recaneto, Mag. David q. Ludovici de Dondis Scholaribus Art. Jacobo de Benciis de Cereto, teſtibus vocatis, rogatis, et aliis.

Ego Jacobus Bidellus Generalis Medicorum & Artiſtarum q. Mag. Franciſci de Contracta Domus Dei de Padua, Centenario S. Blaſii, Quarterio Pontis Altinatis, publica Imperiali auctoritate Notarius iis omnibus ſupraſcriptis interfui, et de mandato Præpoſiti, et Conſiliariorum, et ceterorum Collegii ſupraſcripti, hoc publicum Inſtrumentum, ſeu Privilegium confeci; rogatus hæc omnia et ſingula ſupraſcripta fideliter et bona fide publice ſcripſi, ſignumque meum conſuetum appoſui.

A D

AD MEDICINAM.

Licentia privati examinis, & *Publica* Doctoratus in ſcientia Medicinæ Honorabilis Mag. Antonii q. Mag. Petri de S. Severo de Provincia Apuliæ ſub egregiis Artium & Medicinæ Doctoribus Mag. Jacobo de Zanettinis, Bartholomæo de S. Sophia, Balthaſſare, omnibus tribus Paduanis, & Jacobo de Forlivio A. MCCCC.

IN Chriſti Nomine Amen. Univerſis et ſingulis præſentes litteras, ſive præſens publicum Inſtrumentum inſpecturis Nicolaus de Portugruario, Can. Plebis S. Fidentii de Meliadino Paduanæ Diœceſis, Decretorum Doctor, ac Vic. in ſpiritualibus Generalis Ven. ac Generoſi Viri D. Stephani de Carraria, Dei et Apoſtolicæ Sedis gratia in ſpiritualibus et temporalibus Adminiſtratoris, Rectoris, et Gubernatoris Eccleſiæ Paduanæ, bonorumque jurium ejuſdem, ac hujus almæ Univerſitatis Studii Paduani Cancellarii digniſſimi, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus et gaudium ſempiternum. Studiorum labor meretur, ut iis, qui a ſuis quaſi cunabulis vitam ſuam diſciplinis exhibuere ſcholaſticis, virtutum præmia debita tribuantur, ut ſic ſingulari remuneratione gaudentes bene agendi poſteris exemplum tribuant et ſequelam. Sane per Ven. et egregios Artium et Medicinæ Doctores et Magiſtros Jacobum de Zanettinis, Bartholomæum a S. Sophia, Balthaſſarem q. Jacobini abſentem tam-

tamquam præſentem, Honorabiles Cives Paduanos, et Jacobum de Forlivio nuperrime præſentato coram nobis Vicario prælibato Honorabili et ſapienti Viro Mag. Antonio q. Mag. Petri de S. Severo de Provincia Apuliæ, tunc temporis in ſcientia Medicinæ laudabiliter inſudante ad ſubeundum privatum examen in præfata ſcientia Medicinæ, ut ſi foret repertus idoneus, tunc eundem ad honorem Doctoratus et Magiſterii dignitatem admittere deberemus; Nos vero Nicolaus Vic. prælibatus præmiſſis libenter ac liberaliter annuentes præfatum Mag. Antonium per Doctores præfatarum ſcientiarum Artium et Medicinæ tunc in Paduano Studio reſidentes, Mag. Balthaſſare excepto, ut præmittitur, auctoritate præfati D. Cancellarii nobis in hac parte conceſſa, coram nobis in præfata ſcientia Medicinæ, obſervatis debitis et conſuetis ſolemnitatibus, examinari fecimus diligenter; et quia in examine præfato legendo, repetendo, reſpondendo, argumentis et quæſtionibus, interrogationibus et oppoſitionibus tunc ſibi factis ſufficienter et bene ſe habuit, fuitque ab omnibus Doctoribus præfatarum ſcientiarum unanimiter, concorditer, ipſorum nemine diſcrepante, illico approbatus et ſufficiens reputatus; ideoque nos Nicolaus prædictus Vic. prælibatus dictum Mag. Antonium dignum atque idoneum reputantes ad recipiendum nomen, honorem, titulum Doctoratus ſeu Magiſterii, & Cathedræ Magiſtralis in præfata ſcientia Medicinæ, eidem Mag. Antonio, virtutum ſuarum meritis exigentibus, Publicæ *conceſſimus facultatem.*

Nunc vero in præſentia quamplurium Ven. Nobi-

bilium ac Honorabilium Perſonarum ibidem aſſiſtentium convocatarum et congregatarum ad examen dicti Mag. Antonii, quod Publicum nuncupatur, obſervatiſque omnibus aliis ſolemnitatibus, quæ in ejuſmodi negotiis fieri debent, & conſuetum eſt fieri in Studio prælibato, receptoque teſtimonio Doctorum ibidem aſtantium, quod idem Mag. Antonius examinatus & approbatus ibidem publice coram nobis Vic. prælibato ſub præfatis Artium & Medicinæ Doctoribus & Magiſtris Jacobo de Zanettinis, Bartholomæo a S. Sophia, et Jacobo de Forlivio, erat bonus & ſufficiens Medicus, & dignus ac benemeritus ad recipiendum Doctoratus Officium & Magiſterii dignitatem, & bonorum morum decor ipſius ſcientiam & litterarum peritiam in ipſo mores laudabiles decorabant, ipſum Mag. Antonium examinatum, ut prædiximus, publice approbatum coram nobis auctoritate conceſſa præfato D. Cancellario Studii prælibati, & nobis qui ejus vices gerimus in hac parte tam ex antiqua conſuetudine Studii prædicti, quam ex vigore Privilegiorum felicis recordationis D. Urbani Papæ IV. & D. Clementis Papæ VI. fecimus & creavimus Doctorem & Magiſtrum in præfata ſcientia Medicinæ, concedentes eidem in dicta ſcientia Medicinæ nomen, honorem, & titulum Doctoratus & Magiſterii dignitatem; tribuentes inſuper ſibi tamquam benemerito legendi, repetendi, diſputandi, terminandi, gloſſandi, interpretandi, ſcholas regendi, Baccalarios conſtituendi, & omnia alia faciendi Paduæ & ubique locorum, quæ ad Doctores & Magiſtros ejuſdem ſcientiæ Medicinæ noſcuntur

quo-

quomodolibet pertinere , & a præfatis Mag. Jacobo de Zanettinis , Bartholomæo a S. Sophia , & Jacobo de Forlivio Doctoribus ſuis prædictis licentiam recipiendi inſignia Doctoratus in ſcientia prælibata . Quibus omnibus idem Mag. Antonius poſt hæc in plena concione præfatorum Doctorum , Rectoris ejuſdem facultatis , Scholariumque , diverſarum Perſonarum , & aliarum quamplurium Ven. Nobilium & Honorabilium Perſonarum coram nobis fuit per præfatum Mag. Bartholomæum a S. Sophia nomine ſuo proprio , ac vice & nomine præfatorum Doctorum & Magiſtrorum Jacobi de Zanettinis , Jacobi de Forlivio , & Balthaſſaris abſentis , tamquam præſentis , ſolemniter inveſtitus . In quorum teſtimonium præſentes litteras in formam publici Inſtrumenti per Notarium infraſcriptum , & ejus Collegas infraſcriptos in ſolidum fieri & ſcribi mandavimus , noſtrique Vicariatus ſigilli appenſione muniri .

Datum & actum Paduæ in Majori Eccleſia A. 1400. *Ind. octava , die lunæ duodecimo Menſis Julii , præſentibus egregio J. U. D. D. Franciſco de Zabaellis de Padua , Nob. & egregio Viro D. Ottonello de Diſcalciis de Padua Legum Doctore , Mag. Franciſco de Camerino Artium & Medicinæ Doctore Fil. Mag. Martini de Camerino , Mag. Checo de Seriano Artium Doctore Fil. Ser Dominici de Seriano , Mag. Juliano de Rhodigio diſtrictus Ferrarienſis , Artium Doctore , Fil. q. Nicolai de Coſta de dicto loco , Mag. Bonagratia Fil. q. Ozoboni de Ferraria , Licentiato in ſcientia Medicinæ , Mag. Petro Fil. Ser Joannis de Curte de Padua Artium*

tium

tium Doctore, Mag. Bartholo de Squarcialupis de Plombino Artium & Medicinæ Doctore, & Ser Marco olim Factore Epiſcopatus Paduani de Contracta Columbinorum de Padua, & Nicolao q. Ser Joannis de Juſtinopoli Paduæ habitante in Contracta S. Mariæ de Avantio intra portam, nec non D. Ugerio q. Ser Joannis Boninſegnæ de Padua habitante in Contracta S. Benedicti de Padua, Notariis & Collegis meis, una mecum rogatis, teſtibus ad hæc ſpecialiter vocatis, habitis, & rogatis, & aliis.

AD ARTES

Licentia privati examinis, & *Publica* Doctoratus in Artibus Mag. Bernabutii ſer Andreæ de Faverejo ſub Promotoribus ſuis Mag. Balthaſſare de Padua, Jacobo de la Turre de Forlivio, & Bartholomæo de Mantua, Art. & Med. Doctoribus A. MCCCCII.

IN Chriſti Nomine Amen. Univerſis & ſingulis præſentes litteras ſive præſens publicum Inſtrumentum inſpecturis Nicolaus de Portugruario &c. Studiorum labor &c. Sane per Ven. & egregios Art. & Med. Doct. Mag. Balthaſſarem de Padua, Jacobum de la Turre de Forlivio, & Bartholomæum de Mantua infraſcripta die præſentato coram nobis Vicario prælibato, Hon. & Sap. Viro Mag. Bernabutio Ser Andreæ de Faverejo nunc in Scientia Artium laudabiliter inſudante ad ſubeundum privatum examen in præfata Scientia Ar-

tium,

tium, ut ſi foret repertus idoneus, tunc eundem ad honorem Doctoratus, & Magiſterii dignitatem admittere deberemus; Nos vero Nicolaus Vic. ſupradictus præmiſſis libenter & liberaliter annuentes præfatum Mag. Bernabutium per Doctores præfatarum ſcientiarum Artium, & Medicinæ tunc in Paduano Studio conſiſtentes, auctoritate præfati D. Cancellarii nobis in hac parte conceſſa, coram nobis in præfata ſcientia Artium, obſervatis debitis & conſuetis ſolemnitatibus examinari fecimus diligenter; & quia in examine præfato legendo, repetendo & reſpondendo argumentis & quæſtionibus, interrogationibus, oppoſitionibus tunc ſibi factis ſufficienter & bene ſe habuit, fuitque ab omnibus Doctoribus præfatarum ſcientiarum unanimiter & concorditer, ipſorum nemine diſcrepante, illico approbatus & ſufficiens reputatus; ideo Nos Nicolaus Vic. prælibatus ipſum Mag. Bernabutium dignum & idoneum reputantes ad recipiendum nomen, honorem, & titulum Doctoratus, ſeu Magiſterii & Cathedræ Magiſtralis in præfata ſcientia Artium eidem Mag. Bernabutio, virtutum ſuarum meritis exigentibus Publicæ *liberam conceſſimus facultatem.*

Nunc vero, ideſt eadem die poſt parum, prædicta Univerſitate D. D. Mag. Michaelis Reyer de Gorlitz de Alemania Rectoris Artiſtarum & Medicorum Collegii Studii Paduani, Doctorumque & Scholarium Artium & Med. aliarumque ſcientiarum diverſarum, & nonnullarum Perſonarum laudabili comitiva more ſolito convocata & congregata in Camera noſtra ad examen dicti Mag. Bernabutii,

quod

quod publicum nuncupatur, obſervatiſque omnibus aliis ſolemnitatibus, quæ in hujuſmodi actibus fieri debent & conſuetum eſt fieri in Studio prælibato, receptoque teſtimonio Doctorum ibidem aſtantium, quod idem Mag. Bernabutius examinatus approbatus ibidem publice coram nobis Vicario ſupradicto ſub præfatis Art. & Med. Doctoribus Mag. Balthaſſare de Padua, Jacobo de la Turre de Forlivio, & Bartholomæo de Mantua erat bonus idoneus & ſufficiens Artiſta & dignus ac benemeritus ad recipiendum Doctoratus Officium & Magiſterii dignitatem, & bonorum morum decor ipſius ſcientiam & litterarum peritiam in ipſo mores laudabiles decorabant, ipſum Mag. Bernabutium examinatum, & ut prædiximus, publice approbatum coram nobis, auctoritate conceſſa a præfato D. Cancellario Studii prælibati, nos, qui ejus vices gerimus in hac parte tam ex antiqua conſuetudine Studii prædicti, quam ex vigore Privilegiorum felicis recordationis D. Urbani Papæ IV. & D. Clementis Papæ VI. fecimus & creavimus Doctorem & Mag. in præfata ſcientia Artium, concedentes eidem in dicta ſcientia Artium nomen, honorem & titulum Doctoratus & Magiſterii dignitatem, tribuentes inſuper ſibi tanquam benemerito legendi, repetendi, diſputandi, terminandi, gloſſandi, interpretandi, ſcholas regendi, Baccalarios conſtituendi, & omnia alia faciendi & exercendi Paduæ & ubique locorum & terrarum, quæ ad Doctores & Magiſtros ejuſdem ſcientiæ Artium noſcuntur quomodolibet pertinere in ſupradicta ſcientia Artium plenam & liberam poteſtatem, & a

præ-

præfatis Mag. Balthaſſare de Padua, Jacobo de la Turre de Forlivio, & Bartholomæo de Mantua Doctoribus ſuis prædictis licentiam recipiendi inſignia Doctoratus in ſcientia prælibata. Quibus omnibus idem Mag. Bernabutius in plena concione præfatorum D. D. Rectoris Artiſtarum & Medicorum Doctorumque, & Scholarium diverſarum facultatum, & aliarum quamplurium perſonarum coram nobis fuit per præfatum Mag. Balthaſſarem de Padua nomine ſuo proprio, ac nomine & vice præfatorum D. D. Doctorum & Magiſtrorum Jacobi de la Turre de Forlivio, & Bartholomæi de Mantua ibidem præſentium ſolemniter inveſtitus. In quorum teſtimonium præſentes litteras in formam publicam per Nicolaum Notarium infraſcriptum & ejus Collegam infraſcriptum fieri & ſcribi mandavimus, noſtrique Vicariatus Sigilli appenſione muniri.

Datum & actum Paduæ in Epiſcopali Palatio Paduano in Camera ſupraſcripta D. Nicolai Vicarii prælibati ſub anno D. a Nat. ejuſdem 1402. *Ind. X. die Veneris* 4. *M. Aug. præſentibus D. Thoma D. Thomæ de Seriano, Mag. Joanne de Rhodigio, Mag. David de Dondis de Padua, D. Joanne Ser Antonii de Ciparis de Viterbio, Mag. Antonio Ser Franciſci Maſſonacii de Monte de Padua, D. Honofrio Colle de Caſtellis de Squillano, Mag. Antonio q. Petri Marchioris de Camerino, & Ugerio q. Ser Joannis Boninſegnæ de Contracta S. Benedicti de Padua, Notario Collega meo, una mecum rogato de prædictis publicum conficere Inſtrumentum, teſtibus ad hæc habitis, vocatis, ſpecialiter rogatis, & aliis &c.*

AD

AD ARTES ET MEDICINAM

Licentia privati examinis, & *Publica* Doctoratus in ſcientiis Artium & Medicinæ Magiſtri Juliani fil. Agnelucii de Monte S. Mariæ in Georgio de Marchia A. MCCCCII.

IN Chriſti Nomine Amen. Univerſis & ſingulis præſentes litteras ſive præſens publicum Inſtrumentum inſpecturis Nicolaus de Portugruario &c. Studiorum labor &c. Sane per Ven. & Egregios Artium & Medicinæ Doctores & Mag. Jacobum de la Turre de Forlivio, Bartholomæum de Mantua, Franciſcum de S. Sophia de Padua, & Balthaſſarem de Padua abſentem tanquam præſentem, jamdiu præſentato coram nobis Nicolao Vicario prædicto Hon. & Sap. Viro Mag. Juliano Fil. Agnelucii de Monte S. Mariæ in Georgio de Marchia in ſcientiis Artium & Medicinæ tunc Paduæ laudabiliter inſudantem ad ſubeundum privata examina in præfatis ſcientiis Artium & Medicinæ, ut, ſi foret repertus idoneus, tunc eundem ad honorem Doctoratus & Magiſterii dignitatem admittere deberemus, Nos vero Nicolaus Vic. prælibatus præmiſſis libenter ac liberaliter annuentes, præfatum Mag. Julianum per Doctores præfatarum ſcientiarum Artium, & Medicinæ tunc in Paduano Studio reſidentes, auctoritate præfati D. Cancellari nobis in hac parte conceſſa, coram nobis in præfatis ſcientiis Art. & Med. obſervatis debitis & conſuetis ſo-

ſolemnitatibus examinari fecimus diligenter; & quia in examinibus prædictis legendo, repetendo & reſpondendo, argumentis & quæſtionibus, interrogationibus & oppoſitionibus tunc ſibi factis ſufficienter & bene ſe habuit, fuitque ab omnibus Doctoribus præfatarum ſcientiarum Art. & Med. tunc ibidem exiſtentibus unanimiter & concorditer, ipſorum nemine diſcrepante, illico approbatus & ſufficiens reputatus in eiſdem, ideo Nos Nicolaus Vic. prælibatus ipſum Mag. Julianum dignum & idoneum reputantes ad recipiendum nomen, honorem, & titulum Doctoratus in ſcientiis ſupradictis, ſubeundi examina publica, & recipiendi bonoris Doctoratus, ſeu Magiſterii, & Cathedræ Magiſtralis in præfatis ſcientiis Art. & Med. eidem Mag. Juliano, virtutum ſuarum meritis exigentibus, publice liberam conceſſimus facultatem. Nunc vero convocata Univerſitate D. D. Joannis de S. Marino Art. Doct. Rectoris Artiſtarum & Medicorum Collegii Studii Paduani, Doctorumque & Scholarium Artium & Med. aliarumque diverſarum Perſonarum, nec non nonnullarum aliarum nob. perſonarum laudabili comitiva coram nobis Nicolao de Portugruario Vic. ſupraſcripto in Epiſcopali Palatio Paduano in Camera noſtra ad ipſius Mag. Juliani examen in præfatis Art. & Med. ſcientiis, quod publicum nuncupantur, obſervatiſque aliis omnibus ſolemnitatibus quæ in hujuſmodi actibus fieri debent, & conſecutum eſt in Studio prælibato, receptoque teſtimonio Doctorum præfatarum ſcientiarum Art. & Med. tunc ibidem conſiſtentium, quod idem Mag. Julianus examinatus & approbatus publice iterum coram no-

nobis Nicolao de Portugruario Vic. prædicto ſub egregiis Art. & Med. Doctoribus Mag. Jacobo de la Turre de Forlivio, Bartholomæo de Mantua, Franciſco de S. Sophia ibidem præſentibus, & Balthaſſare de Padua abſente tanquam præſente, ipſorum trium ſuis propriis nominibus & vice ac nomine Mag. Balthaſſaris de Padua abſentis tanquam præſentis, erat bonus & ſufficiens Artiſta & Medicus, & dignus ac benemeritus ad recipiendum Doctoratus officium & Magiſterii dignitatem in præfatis ſcientiis Artium & Medicinæ, ac præterea ſcientiam & literarum peritiam in ipſo mores laudabiles decorabant, ipſum Mag. Julianum examinatum, & ut prædiximus, publice approbatum coram nobis Nicolao de Portugruario ſupraſcripto, auctoritate conceſſa præfato D. Stephano Cancellario prælibato, & nobis Nicolao Vic. prædicto, qui ejus vices gerimus in hac parte, tam ex antiqua & approbata conſuetudine Studii ſupradicti, quam ex vigore Privilegiorum felicis recordationis D. Urbani Papæ IV. & D. Clementis Papæ VI. fecimus & creavimus Doctorem & Mag. in præfatis ſcientiis Art. & Med. tribuentes eidem in ſupradictis ſcientiis nomen, honorem, & titulum Doctoratus & Magiſterii dignitatem, tribuentes inſuper ſibi tamquam benemerito legendi, repetendi, diſputandi, terminandi, gloſſandi, interpretandi, ſcholas regendi, Baccalarios conſtituendi, & omnia alia & ſingula faciendi & exercendi Paduæ & ubique locorum & terrarum, quæ ad Doctores & Magiſtros præfatarum Scientiarum Art. & Med. noſcuntur quomodolibet pertinere, & a præfatis Do-

ctoribus & Promotoribus ſuis licentiam recipiendi & petendi Inſignia Doctoratus in ſcientiis prælibatis Art. & Med. Quibus omnibus protinus idem Mag. Julianus, ut præmittitur, geſtis & factis in plena concione præfatorum D. D. Rectoris Artiſtarum & Medicorum, Doctorumque, & diverſarum facultatum Scholarium, & aliarum quamplurium Perſonarum, & coram nobis fuit per præfatum Mag. Jacobum de la Turre de Forlivio nomine ſuo proprio, ac vice & nomine præfatorum D. D. Doctorum, & Mag. Bartholomæi de Mantua Franciſci de S. Sophia, & Balthaſſaris de Padua licet abſentis, ſolemniter inveſtitus. In quorum teſtimonium præſentes litteras in formam publici Inſtrumenti per Corteſium infraſcriptum & ejus Collegas infraſcriptos in ſolidum fieri & ſcribi mandavimus, noſtrique Vicariatus ſigilli appenſione muniri.

Datum Paduæ in Epiſcopali Palatio Paduæ in Camera ſupraſcripti D. Nicolai Vicarii prælibati, ſub annis D. a Nat. 1402. Ind. X. die Veneris 19. Menſis Maji, præſentibus Hon. Viris D. Nicolao de Boemia V. Rectore Ultramontanorum Scholarium J. Civ. & Can. D. Franciſco de Zabarellis J. U. D. eximio, D. Ardizono fil. Generoſi Viri D. Comitis de Carraria Canonico Paduano, Mag. Angelo de Foſſombruno Art. Doctore, Mag. Laurentio de Prato Art. Doctore, Mag. Petro de Tomaſiis Art. Doctore, Mag. Juliano de Rhodigio Art. Doctore, Mag. Joanne de Corradinis de Venetiis Art. Doctore, Mag. Martino de Mantua Art. & Med. Doctore, D. Nicolao de Porcellinis in Artibus Licen-

centiato & Canonico Paduano, Mag. Antonio de Monte Artium Doctore, Mag. Ludovico de Laude Scholare Art. & Med. Mag. Franciſco de Peruſio Scholare Med. & Franciſco de Luco Scholare Med. & Nicolao q. Joannis de Juſtinopoli, nec non D. Ugerio q. Joannis Boninſegnæ de Padua, Collegis meis, teſtibus ad hæc ſpecialiter habitis, vocatis, & rogatis, & aliis &c.

AD JUS CIVILE

Licentia privati examinis in Jure Civili D. Franciſci fil. q. Joannis de Beningradu de Padua A. MCCCLXXIX.

R*Aymundus Dei & Apoſtolicæ ſedis Gratia Epiſcopus Paduanus ſapienti Viro D. Franciſco Filio q. Jo. de Beningradu de Padua in jure Civili examinato ac publice licentiato & approbato Salutem & ſinceram in Domino charitatem. Pridem Excellentis ſcientiæ Virique Venerabiles & facundi Domini Baldus de Peruſio Juris Utriuſque, ac Arſendinus de Arſendis de Forlivio, Paganinus de Sala, & Aycardinus de Alvarottis Legum Doctores, una cum aliis Doctoribus utriuſque Juris Collegii Paduani, ac Rectoribus, & Univerſitate Scholarium Ultramontanorum, & Citramontanorum Studii Paduani, prout moris, & conſuetum eſt fieri in eodem Studio, Te eo quod in eodem Studio Paduano Juris Civilis ſcientiæ laudabiliter ſtuduiſti, teque moribus & ſcientia reddidiſti laudabilem atque dignum ad recipiendum*

honores, qui juſte debentur ferventer inſiſtentibus ſtudio literarum, examinandum in dicti Juris Civilis ſcientia, & ſi inde repertus fueris idoneus, licentiandum, & approbandum etiam ad recipiendum in eodem Jure honoris, nominis, & Cathedræ Doctoralis, & Magiſterii dignitatem unanimiter præſentarunt; ideoque nos per Doctores prædictos, videlicet Dominos Petrum Ab. Monaſterii S. Stephani de Carraria, Lappum de Caſtiglionchio de Florentia, Galvanum de Bononia, Nicolaum de Padua J. C. D. nec non Antonium de Pedemonte Vicarium Magnifici Domini Paduani, Jacobettum Turcbettum de Padua, Michaelem de Maroſtica, Valerianum de Cerona, Guilielmum de Caſtilione Aretinum, Ubertinum de Lampugnano, Jo. de Saraceno de Padua, Pizzacominum de Padua, Jo. de Capitaneis de Mediolano, Albertum de Guidelotis de Peruſio Militem, Jo. Ludovicum de Padua, Naſcimbenum de Cittadella, Antonium de Merlaria, Benedictum de Senis Vicarium D. Poteſtatis Paduæ, Machagninum de Grompo, Franciſcum de Conſilve, Danielem de Rido, & Ziliolum de Cremona, omnes Legum Doctores honorabilis Collegii prædicti, ſub privato examine in dicto Jure Civili coram nobis examinari te fecimus diligenter. Cumque in examinatione hujuſmodi, legendo ac oppoſitionibus & interrogationibus tibi factis per Doctores ipſos repetendo & reſpondendo, in præfata ſcientia Juris Civilis idoneus repertus extiteris, & per eoſdem omnes Doctores unanimiter, concorditer, ac ſingulariter, & nemine diſcrepante, approbatus & ſufficiens reputatus fueris

ad

ad examen publicum ſubeundum, Nos tam ex approbata conſuetudine Studii Paduani, quam ex privilegiis Sedis Apoſtolicæ conceſſis eidem Studio & Indultis, ut de tuis laboribus, quos fructuoſo in ejuſdem Juris Civilis ſcientiæ ſtudio ſuſtinuiſſe dignoſceris, fructum eo uberius poſſis percipere, quo fueris majoris honoris titulo decoratus, te ad Doctoratus & Magiſterii dignitatem juxta præfatorum Doctorum Conſilium, dignum, ſufficientem, & idoneum reputantes, teque ſuperinde Licentiatum decernentes, & approbatum in dicto privato examine ſcientiæ Juris Civilis, tibi ſubeundi & recipiendi examinationem publicam, quandocumque tibi placuerit, & interim omnes actus ſpectantes & pertinentes Licentiato & approbato in Legibus & Scientia Jur. Civ. exercendi, dictaque publica examinatione recepta, percipiendi nomen, honores, & titulum Doctoratus & Magiſterii in Jure Civili, tenore præſentium plenam auctoritatem, liberam poteſtatem, omnimodam facultatem, & totalem licentiam publice impertimur & concedimus per præſentes litteras noſtras, quas ſigilli noſtri Pontificalis appenſione munitas tibi in præmiſſorum teſtimonium duximus concedendas.

Datum Paduæ in noſtro Epiſcopali Palatio ſub anno Domini Nativitatis 1379. *Ind.* 2. *die Lunæ XII. Menſis Septembris, Regnante Magn. & potenti D. D. Franciſco de Carraria, Heroum ipſius Domus Carrarienſis Civitatis Paduæ & Diſtrictus ſeptimo Domino & Capitaneo Generali, præſentibus Ven. Viris D. D. Venceslao, & Vulphrano de Praga Paduæ ſtudentibus in Jure Canoni-*

O 3 *co,*

co, Jo. Comite nato D. Jacobi Spani de Ungaria in dicto Jure ſtudente, Antonio de S. Angelo, Jacobino de Monteſilice, & Fantino de S. Vito de Padua, Licentiatis in Jur. Civ. Ludovico de Fliſco de Janua, Ludovico de Buzzacarinis de Padua, Scholaribus in Jure Civili, & Nicolao de Hiſpania Licentiato in Jure Civili, teſtibus ad hæc vocatis ſpecialiter, & rogatis &c.

AD JUS CANONICUM

Licentia privati Examinis in Jure Canonico Nobilis Viri D. Auguſtini Filii q. Excellentiſſimi Doctoris D. Bernardini de Bulgarellis de Imola A. MCCCC.

IN *Chriſti Nomine, Amen. Univerſis & ſingulis præſentes litteras, ſive Privilegium & Inſtrumentum publicum inſpecturis Nicolaus de Portugruario &c. Univerſitati veſtræ notum facimus per præſentes, quod Viri egregii & magnæ ſcientiæ Domini Franciſcus de Zabarellis, Jo. Ludovicus de Lambertaciis, & Hendricus de Alano, J. U. Doctores eximii, in Honorando Studio Paduano actu degentes, in præſentia R. Virorum D. D. Rectorum Ultramontanorum, & Citramontanorum, aliorumque Doctorum U. J. Collegii Paduani una cum Univerſitate Scholarium ejuſdem Studii Paduani, prout moris eſt fieri in eodem, Nob. & ſapientem Virum D. Auguſtinum Filium q. Excell. U. J. Doctoris D. Bernardini de Bulgarellis de Imola qui in diverſarum Civitatum Studiis laudabili-*

biliter ſtuduit, & ferventi animo commendabiliter inſudavit, ac in Studio Paduano præfato ſuos actus ſufficienter exercuit, ſeque moribus & ſcientia exhibuit laudabilem atque dignum ad recipiendum bonores, qui juſte debentur inſiſtentibus ſtudio literarum, nobis præſentarunt examinandum in Juris Canonici ſcientia coram Nobis: & quia poſt præſentationem hujuſmodi Nos eundem D. Auguſtinum per Doctores omnes U. J. tunc in Civitate Paduana ac præfato Studio Paduæ exiſtentes in noſtra præſentia, ut fieri debuit, & conſuevit, examinari fecimus diligenter; & quia in examinatione hujuſmodi legendo, repetendo, reſpondendo, & dubia quæcumque luce clarius commendabiliter declarando ſufficienter, bene, & egregie ſe habuit & rexit tanquam ſtrenuus pugil, fuit per eoſdem Doctores J. U. unanimiter & concorditer, eorum nemine diſcrepante, approbatus & ſufficiens reputatus ad ſubeundum aliud examen, quod publicum nuncupatur, & ad recipiendum in Jure Canonico nomen, honorem, & titulum Doctoratus & Magiſterii dignitatem; Nos quoque ad quos ex privilegio Apoſtolicæ Sedis, & approbata conſuetudine Studii ſupradicti hoc dignoſcitur pertinere, ipſum D. Auguſtinum tanquam ſufficientiſſimum, digniſſimum, & benemeritum in Jure Can. ex prædictorum Doctorum conſilio publice approbavimus & licentiavimus, ac eidem auctoritate præfata nobis, ut præmittitur, competente, ut de ſuis laboribus, quos fructuoſe in ejuſdem Juris Can. ſtudio ſuſtinuiſſe dignoſcitur, fructum eo uberius percipere, quo fuerit majoris honoris titulo Doctoratus,

poſſit & valeat, ſubeundi & accipiendi examinationem publicam, quandocumque ſibi placuerit, in ſtudio Paduano præfato, & non alibi, illaque recepta, nomen honorem & titulum Doctoratus, & Magiſterii dignitatem recipiendi in præfata Jur. Can. ſcientia, tenore præſentis plenariam licentiam conceſſimus atque dedimus, ipſo tamen D. Auguſtino jurante ad ſacra Dei Evangelia, corporaliter tactis Scripturis coram nobis, non alibi conventuari, quam in Studio Paduano præfato, nec in ſuo conventu expendere ultra taxam in Concilio Viennenſi pertaxatam. In quorum teſtimonium præſentes litteras, ſive Privilegium, in formam publicam fieri & ſcribi mandavimus per Nicolaum Not. infraſcriptum, & alium ſuum Conſocium & Conſcribam infraſcriptum, ipſiuſque noſtri Vicariatus Sigilli appenſione muniri.

Datum & actum Paduæ in Epiſcopali Palatio Paduano ſuper ſala magna inferiore dicti Epiſcopatus A. 1400. Ind. 8. die Lunæ 19. Menſis Januarii, præſentibus Rev. Petro D. Andrea Civrano Dei Gratia Ab. Monaſterii S. Cypriani de Muriano Torcellanæ Diœceſis, ac Nob. & Sap. Viris D. D. Joanne de Parleonibus de Arimino Licentiato in Jure Civili, Andrea de Neapoli Scholare ſtudente in Studio Paduano in J. Civ. Philippo de Coneglano Præpoſito Collegii Reverendiſſimi P. D. Pilei de Prata Cardinalis, Scholare ſtudente in dicto Studio Paduano in Jure Canonico, Jo. Franciſco de Padua Scholare ſtudente in præfato Studio Paduano in Jure Civ. Præpoſito Collegii D. Albicii de contracta Putei Campionis, Fantino Dandulo de Venetiis Scholare ſtudente in Studio

dio Paduano in Jure Civili, & Ugerio q. Ser Joannis Boninſegnæ de contracta S. Benedicti de Padua Collega meo una mecum rogato de prædictis publice conficere Inſtrumentum, teſtibus ad hæc habitis, vocatis ſpecialiter, & rogatis, & aliis &c.

AD UTRUMQUE JUS

Publica Doctoratus Domini Barboni Mauroceni in Utroque Jure ſub Dominis Antonio de Poſtellis, Jacobo de Zochis, Paullo de Aretio, Franciſco de Capiteliſtæ, Coſma Contareno, & Joanne de Porto, Utriuſque Juris Doctoribus, ſuis Promotoribus, in aſſiſtentia D. Thomæ Turci de Verona Rectoris &c. A. MCCCCXLII.

IN Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Amen. Univerſis has litteras, præſenſve publicum Inſtrumentum conſpecturis Antonius Zeno Mediolanenſis, Decretorum Doctor, Præpoſitus Eccleſiæ SS. Trinitatis de Papia, & Canonicus Paduannus, Rev. in Chriſto Patris & Domini Domini Petri Donati Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Paduani, Generaliſque & privilegiati Studii Patavini Cancellarii digniſſimi, in ſpiritualibus Vicarius Generalis, debitam reverentiam, vel veram in Domino ſalutem. Omnes homines a natura producti ſunt, ut finem proprium aſſequantur, qui quidem, ut Ariſtoteli placet, tum in virtutis uſu, tum vel præcipue in diſcendis contemplandiſque rerum altiſſimarum cauſſis conſiſtit. Quia vero alto nimis & au-

auguſto loco ſitus hic finis eſt, cum pauci aſſequuntur. Opus enim eſt magno ſtudio, frequenti labore, uſu continuo, ſudore & plurimo & proprio. Namque virtutis cognitio acuto in angulo latet: quare ingreſſus ad eam arduus eſt atque difficilis, & virtutum operatio nequaquam facilis & expedita, illecebris, vitæ voluptatibus nimium atque ſatis obſiſtentibus. His itaque obſeſſi & circumvoluti homines alta perſpicere, excelſa agere minime valentes, pauci admodum mortalium finem proprium adipiſcuntur. Igitur ſiquis tandem has ſuaviſſimas Sirenas, ut poetæ dicunt, devitaverit, viceritque ſecundum rationalis animæ partem, irrationabili abjecta, is non modo eſt laudandus, ſed maxime potiſſimeque colendus, omniſque honoris faſcibus exornandus. Talis vero eſt Barbonus Maurocenus, qui claro loco natus, Venetiarum in urbe ſplendidiſſima, ex ordine Patricio, ut finem aſſequeretur, omnia vitæ oblectamenta poſtergavit, per omnem ætatem virtutibus ſcientiiſque invigilans. Nam poſt prima rudimenta, quæ ab infantia didicit, Rhetorices præcepta & inſtituta conſecutus altum eloquentiæ gradum tenet. Inde Dialecticorum acumina adeptus ſacratiſſima Philoſophia Artium omnium parente ita eſt potitus, ut Magiſterium & Doctoratum, nobis auctoribus, æquo jure meruerit: poſtremo vero Romanorum inſtitutis æquiſſimis, & Pontificum decretis ſanctiſſimis operam dans, ſingulari quodam ingenio miraque induſtria ſingula eſt amplexus. Quas ob res ſtrenuus miles & Juris Utriuſque Doctor famoſiſſimus D. Antonius Roſellus Aretinus, & clarus Legum Doctor D. Franciſcus de

Ca-

by Google

Capitibus liſtæ de Padua, nec non etiam egregii Utriuſque Juris Doctores D. Paullus de Aretio, D. Jacobus de Zochis de Ferraria, D. Coſmas Contarenus Patricius Venetus, & D. Joannes de Porto de Vicentia nobis memoratum Barbonum, tamquam Juris Utriuſque peritiſſimum, & Doctorea dignitate benemeritum præſentarunt. Nos vero, etſi celebris ejus fama diu jam per omnium ora volitaret, ut tamen clarius reſplenderet, convocatis ſolemniter Collegialiterque in Epiſcopali Palatio Doctoribus hujus Patavini Gymnaſii tota Italia celebratiſſimis, ac in primis claro viro Thoma Turco Veronenſe, Scholarium Juriſtarum Rectore graviſſimo, ab eiſdem Barbonum Utroque in Jure rigide aſpereque heſterna die fecimus examinari; qui cum ornatiſſime admodum & exquiſitiſſime ſatis altas ſcientias enodarit, & Juris Utriuſque acumina patefecerit, ac inexplicabiles difficultatum nodos diſſolverit, ab auguſtiſſimo hoc Collegio laudatus mirifice, omnium ſuffragiis dignus exiſtimatus eſt Doctoratus & Magiſterii inſignia capeſſere. Nos itaque Antonius Zeno Vicarius prædictus, tantorum virorum judicium recte ſequentes, auctoritate præfati Rev. Præſulis Paduæ, quam illi ac ceteris pro tempore exiſtentibus conceſſit inveterata conſuetudo, cujus conſuetudinis memoria non exiſtit, & felicis recordationis Urbanus P. IV. & Clemens P. VI. ac modernus beatiſſimus Pontifex Eugenius IV. qua fungimur in hac parte poteſtate, heſterna die pro tribunali ſedentes, eidem Barbono, viro omni ſcientia cumulatiſſime pleno, licentiam atque jus conceſſimus Cathedram aſcendendi, & Juris

utriuſ-

Utriuſque ſapientias legendi, gloſſandi, interpretandi, quæſtiones terminandi, Baccalarios conſtituendi, omniaque faciendi, quæ Utriuſque Juris Doctores facere conſueverunt. Et ut tandem ejus virtus digno honore condecoretur, tam ipſi, ut a D. Antonio Roſello, ceteriſque Doctoribus famoſiſſimis ſupranominatis ejus Promotoribus Utriuſque Juris Doctoratus inſignia petere, quam ipſis Promotoribus, ut illi eadem tribuere poſſint, & pridie facultatem conceſſimus, & nunc repetita vice largimur. Ipſum vero e veſtigio magiſtralem cathedram palam aſcendere, & a claro Doctore D. Antonio Roſello, nomine &, proprio, & Compromotorum, Pontificii Juris ornamentis donatum vidimus. Poſtremo Romani Juris inſigniis egregius Doctor D. Franciſcus de Capitibus liſtæ vice etiam Compromotorum eum indumentis cunctis ornavit. In ejus rei teſtiomonio perpetuo & commendatione æterna has patentes litteras diligentiſſime conſcribi mandavimus, & prædicti Rev. Antiſtitis Paduani Pontificali appenſo ſigillo muniri, fidem veram omnibus præſtantes, in Barbono uno omnem virtutem, cunctas & artes & diſciplinas tamquam in domicilio proprio concurriſſe; ut libere pronunciare aſſerereque poſſimus, eum finem jam eſſe aſſequutum.

Datum Patavii in Epiſcopali Baſilica anno a Nativitate D. N. Jeſu Chriſti MCCCCXLII. Indictione quinta, die Dominico XIX. Aug. præſentibus Magnificis & generoſis viris DD. Matthæo Victuri Præſide, & Chriſtophoro Mauro Præfecto urbis Patavinæ, Thadæo March. Eſtenſi, & Federico Contareno teſtibus, & aliis in multitudine copioſa.

Ve-

Vetuſta hæc Diplomatum exempla, per quæ ſæculo Gymnaſii primo & altero tituli ſcholaſtici conferebantur, poſtea ſæpe variata ſunt, non re, ſed verbis; donec, jubente Magiſtratu, certis ſunt illigata formulis, a quibus diſcedere numquam liceret. Hinc ortum eorum officium, qui ea ſcriberent; &, ſiquid ſecus ſcriptum eſſet, rationem redderent.

LAUDAMUS VETERES,
SED NOSTRIS UTIMUR ANNIS.

Ovid. Faſt. l. 1. v. 225.

INDEX

A.

ACciolinus. pag. 3. 12
Adelmarius Thadæus, ejuſque teſtamentum. 134
Adſeſſores quinam ſint. 70
Albericcius Chriſtophorus. 64
Alcuinus Anglus. 5
Alphraganus. 57
Altina familia. 137
Amuleum Collegium. 141
Amuleus M. Antonius Cardinalis. ibid.
Anatomia. 58. Quam multi ejus cultores eſſent ſæculo ſextodecimo. 103
Ancharanus Petrus. 95. & ſeq.
Anſaldus Hiſpanus. 10
Anſelmus. 7
Anteceſſores. 8
Antiani, Patavinorum magiſtratus. 152
S. Antonii prædictio. 4
Aponenſis Petrus. 102
ab Apparitio Fr. Sebaſtianus. 116
Archiſcholaris. 81
Aretinus Leonardus ſcripſit de neceſſitate diſputandi. 67
Ariſtotelis libri. 55. & ſeqq.
de Arquado Jacobus, & ejus Collegium. 124. & ſeq.

Arſegninus Grammaticus. 2
Aſcrivienſes Scholares. 147
Aſtrologiæ ſchola. 57. & ſeq.
Athenæum. 32
Auguſtus. 4
Auguſtulus. 70
Aula, & *Aulatus*. 84
Auximani Scholares. 128

B.

Baccalarii, eorumque ordo. 81. & ſeq.
Bacchanaliorum vacationes contrahuntur precibus Univerſitatis. 103
Baduarius Albertus. 66
Barbavarius Ambroſius. 83
Bardas. 6
Baſadonna Hieronymus. 19
Bartholus. 53
Barzizius Gaſparinus. 59. 102
Bellunenſes Scholares. 140
Beltraminus de Caſatis Eques creatus. 180. & ſeq.
Bembus Petrus. 103
Biblici Baccalarii. 82
Bidelli Specialis officium. 47
Boaterius Petrus. 120
Bolzonus Joſephus. 72
Bonamicus Lazarus. 49. 59
Bonfadius Jacobus. 103
Bonifacius Balthaſſar. 149
Benincontrus Abbas S. Cypriani. 121

Bo-

Bononienſis Univerſitas. 88. Prima Italicarum. 6. Avertitur alio. 2. Interdicitur. 10. Ex illa evocantur Patavini Profeſſores. 24
Bormienſes Scholares. 145
Botanicus quando doceat. 46
Bovis Hoſpitium. 11
Brancaſiccus Albicius. 121. 124
Brixianum Collegium. 135
Buico Fr. Nicolaus. 117
Bullati Doctores. 71
Burnetus Angliæ hiſtoricus. 117
Buſenellus Petrus Græci Collegii Præſes. 146

C.

CAcius Joannes Epiſcopus. 9
Camaldulenſes Monachi. 10
Campegius Joannes. 64. 97
Cantus Eccleſiaſticus. 4
Caputium Rectoris. 17. 176
Carbonus Matthæus. 149
Carenſius Ludovicus. 34
Carolus Calvus. 5
Carolus Magnus. 4. & ſeq.
Carrarienſis Franciſcus ſenior. 78. 120. Junior. 74. 121. 125. 127. 170. Novellus Junioris fil. 178. 180.
Catharenſes Cauſſæ in Patavino Collegio definiuntur. 115. & ſeq.
de Catharo Antonius. 43
Caucum Collegium. 137
Caucus Jacobus. ibid.

Ce-

Cephalus Joannes. 106
Cepolla Bartholomæus. 103
Cermiſonus Antonius. 40
Chirurgus. Ab eo non requiritur Latinus ſermo. 74
Circuli & Concertationes. 49. 62. & ſeqq. Locus & tempus. 63. & ſeq. Rectores ipſi eas habebant. 66. Intermiſſæ. ibid. & ſeqq.
Clementis VI. diploma. 77
Clericus eſſe debet, qui velit Theologicam Lauream obtinere. 85
Codicillaris Doctor. 71
Cœnobitæ accedere ad lauream nequeunt ſine facultate eorum, quibus parent. 84. & ſeq.
Cœnobitæ coempti. 118
Collegia Doctorum. Eorum auctoritas in Gymnaſium. 52. 153. Collegia Veneta. 77
Collegia Scholarium egenorum. 119. & ſeqq.
Comites Palatini Doctores creant. 71
Adimitur illis facultas. 72
de Comitibus Ingulfus. 125. 154
Compromiſſum de Artium Rectore. 166. & ſeqq.
Concurrentes Profeſſores quinam. 64
Conſiliarii nationum. 15. 20
Conſtantinopolitanæ ſcholæ. 6
Contarenus Julius. 140
Controverſiæ, quæ ad Gymnaſium Patavinum diſceptandæ afferuntur, 109. & ſeqq. Si de Juriſdictione ſint, quid agendum. 116
Conventus publicus. 84
Cornelia Helena Lucretia. 91

Corrarii Patriarchæ decreta de alumnis Collegii Tornacenſis. 123
Cottunius Joannes, ejuſque Collegium. 150
Crookius Anglus. 117
Curtoſii Ludovici Collegium, & teſtamentum. 130.
Cyprii Scholares. 126

D.

DEcianus Tiberius. 64
Decretiſtæ, & Decretaliſtæ. 3. 77
Decurſiones. 17
Diarium Nicolai de Rubeis. 107
Dictandi mos. 49. 60. 61. Nunc inanis eſt. 107
Diſputationes ſtudentium cur intermiſſæ. 67. Deſcribuntur, quæ nunc ſunt in more. ibid. & ſeq.
Diſſertationes eruditæ. 54
Docendi modus in Gymnaſio. 52. & ſeqq.
Doctor quis dicatur. 70. & ſeq. Doctor more nobilium. 72. 86. & ſeq. 91. 92. Doctoris creandi formula. 73. Studia & examina. ibid. & ſeq. Experimenta remitti cœperunt. 84. 88. Doctor *pro majori*. 89. Doctorum turba. ibid. Jura & immunitates. ibid. & 90. Contemptus. 90. Doctoris dignitas Equeſtri comparata. 91. Quando cœperit eſſe nomen honorarium. 7. 9. Jus ejus creandi. 11. Qui publice docet, debet eſſe Doctor. 27
de Doctoribus Stephanus, & Benedictus frater. 133.

Dominicani. 2
Dungalus Monachus. 5

E.

EGnatius Jo. Baptiſta. 104
Eliſabetha Joannis Andreæ filia. 60
Engleſcus Franciſcus, ejuſque Collegium. 133
Epiſcopus. Ejus auctoritas in Civitate, & in Scholis. 1. 6. 12. 152. In Collegium Theologicum. 79. & ſeq. In Collegium Tornacenſe. 122. In Pratenſe. 127. Quas ſcholas eligere ſoleret. 34. & ſeq.
Equeſtris dignitatis Diploma. 180
Eremitani Cœnobitæ excluſi a funere Ludovici Curtoſii. 130
Eugenius II. P. M. 6
Examina ad titulos Academicos conſequendos. 50. 74.
Extraordinariæ Scholæ. 48
Extraordinarii Profeſſores. 48. & 55

F.

FAbris Hortenſius. 139
Fabris Jacobus. 38
Faccius Franciſcus. 60. & ſeq.
Faſeolus. 49
Feltrienſe collegium. 136
Feltrienſes Scholares. 147
Ferrarius Octavius. 59
Fides veterum monumentorum in diſcrimen adducta. 117

a Flumine Paullus. 40
Formati Baccalarii. 82
Foſcarus Franciſcus Gymnaſii Rector, poſtea Venetiarum Dux. 126
Francus Nicolaus Epiſcopus Tarviſinus, Legatus Apoſtolicus. 123
Frequentia & infrequentia Gymnaſii unde ſit. 94. & ſeqq. Semper in incerto. 102. Quanta eſſet ſæculo ſextodecimo. 103. & ſeqq. Cur rurſus imminuta. 106. Quomodo creverit. 107. Quæ ſit nunc. ibid. & ſeq.
Fridericus I. Imp. 12
Fridericus II. Imp. Bononienſium ſcholis infeſtus. 2. & ſeq. Patavium in fidem recipit. 3. Conſulit publicis ſcholis. 12
Fuldenſe Cœnobium. 5
Fulgoſius Raphael. 95

G.

GAlilæus. 57. 59
Gallus Vincentius. 144
de Garphano Petrus. 126
Gaſtaldus Cornelius, ejuſque Collegium. 136
Gerardus Pomadellus Epiſcopus Patavinus. 9
Germani cur Gymnaſium Patavinum frequentarent. 100. & ſeq.
Ginannus Abbas. 143
Gradonicus Petrus. 133
Græcæ litteræ. 56
Græcum Collegium. 145. & ſeq.
Grammatici. 4. Doctores creantur. 71

Gratianus. 8
Gratulatio Gymnaſii publica. 18. & ſeqq.
Gribaldus Matthæus. 104
Grimanus Petrus, ejuſque mors, & elogium. 163.
Guido Aretinus. 7
Guido de Monte Regienſi Prætor Patavinus. 10
Gymnaſia publica. 5. Quando cœperint in Italia. 8
Gymnaſii Patavini origo. 1. 3. Incrementum. 9. Vera conſtitutio. 9. & ſeqq.

H.

HEnricus VIII. Angliæ Rex. 117
Humanitatis ſchola modo una, modo multiplex. 59. & ſeq.

I.

IMolenſis Joannes. 96
Immunitates Collegiis tributæ, & confirmatæ. 121. 125
Joannes Andreæ Archidoctor. 60
Indicia. De his variæ quæſtiones. 111. & ſeqq.
Irnerius. 8. 70
Judiciorum ordo, conſuetudines, ſolemnia quando ſervanda. 115
Judicum matricula. 11
Juriſprudentia unde orta. 70
Juriſtæ, & *Artiſtæ*, eorumque Rectores. 8. 14
Jus Civile, & Pontificium quomodo olim explicaretur. 53

L.

LAnfrancus. 7

De Lambertis Hieronymus, ejuſque Collegium. 135

Latinus ſermo in examinibus ad Lauream neceſſarius. 74. Aliquando remiſſus. ibid.

Laurea. 70. & ſeqq. Laureæ Promotores. 75. & ſeq. Cujus auctoritate conferatur. 76. Confertur abſentibus, & ex gratia ſpeciali. 88. Ejus conſequendæ ætas. 89. Impenſa. 80. 92. Quomodo nunc celebretur. 92. & ſeq.

Laureæ Privilegia vetuſta. 182. & ſeqq.

Lauretanus Franciſcus Venetiarum Dux. 164

Lazzara Vbertinus. 71

Lectio, *lector*, *lectura* quid. 52

Leo Philoſophus. 6

Leoneſſa Jacobus. 103

Leonicus de Tomæis. 56

Licentiati. 83

Litterarium corpus. 30

Litterarum & artium ſtatus quinam ſit. 50. & ſeq. 104. & ſeq.

Lollinus Ludovicus. 140

Longobardi Italia expulſi. 4

Lotharius Ludovici fil. Italiæ Rex. 6. Lotharius II. 7

S. Lucæ feſtum. 47

Ludovicus Pius. 5

Ludovicus XII. Galliarum Rex. 98

Lyus

Lyus Antonius. 2. Bartholomæus, & Thadæus fratres. 10. 11

M.

Magica ſuperſtitio quid ſit. 109. & ſeq. Cur detegi interdum nequeat. 110
Magiſtri. 8
Mainus Jaſon. 65. 97. & ſeq.
Manfredus Euſtachius. 88
Mantica Franciſcus. 33. 106
Mantua Marcus. 42
Marcellus Petrus. Epiſcopus Patavinus. 79
Martinus Goſſius. 9
Martinus V. 14. 79
Maurocenus Jo. Franciſcus, ejuſque mors, & elogium. 159
Maurocenus Michael. 162
Maximilianus Rheni Palatinus & Bavariæ Dux. 109.
Medici. 55. Num Doctores creari debeant more nobilium. 73. Conſuluntur ſinguli. 116
Menochius Jacobus. 64
Meretricum vectigal Gymnaſio attributum. 96
Metaphyſica, & ejus ſectæ. 59
Milanum Collegium. 143
Milo Epiſcopus. 7
Montiſilicis Collegium. 149. & ſeq.
Moralis Philoſophia conjuncta cum Humanitate. 59.
Mundinus de Luciis. 58
Muretus. 104. & ſeq.
Muſica. 7

N.

NEapolitanæ Scholæ. 2
Noale oppidum. 143

O.

OLzignanus Hieronymus. 42. & ſeq.
Oradinus Julius. 39
Ordinariæ Scholæ. 48
Ordinarii Profeſſores. ibid.

P.

PAginæ. 49. & ſeq.
Pandectarum Codex. 8. 70
Papponerius Paullus cum uxore & tribus filiis exuſtus. 110
de Parachaſiis Fr. Ugolinus. 190. & ſeqq.
Pariſienſis Univerſitas. Ex illa invitati ſunt, qui Patavii docerent. 24. De ſchola ejus Theologica. 77. & ſeq. Ejus frequentia aliquando imminuta eſt. 100. 119
Paritas loci. 37
Paſchalicus Joannes, ejuſque mors, & elogium. 162. & ſeq.
Patavini Profeſſores. 29. & ſeq. Nec ſcholæ primæ tribui illis poſſunt, nec augeri ſalarium ultra florenos CCC. Non debent eſſe Collegæ & antagoniſtæ, vulgo Concurrentes. 36.
Patavini cives quatuor ad Gymnaſium inſtaurandum

dum electi. 102. 153. Quærunt per Italiam Profeſſores. 103
Patavini non poſſunt eſſe ſcholares. 13
Patavinum Capitulum. 138
Patavium modo in fide Pontificum fuit, modo Imperatorum. 12
Penſum ſcholarum fideliter explendum. 53. & ſeq.
Peruſinus Balthaſſar. 41
Petrarcha Franciſcus. Ejus judicium de Doctoribus. 90
Petrarubea Albertus. 39
Petrus Piſanus. 5
Philologus Thomas, ejuſque Collegium. 142
Philoſophi. 55. & ſeqq.
Piſanus Aloyſius, ejuſque mors, & elogium. 160.
Pivatus Joannes Franciſcus. 154
Pontifex Romanus. Ab eo ſubſidia petenda putat Univerſitas. 99
Prætoris Patavini auctoritas in Gymnaſium. 152
de Prata Pileus Epiſcopus Patavinus. 14. 121. 126. 168.
Pratenſe Collegium. 126. & ſeqq.
Priolus Ludovicus, ejuſque Collegium. 138
Privilegium ad Theologiam. 182. 190
Ad Chirurgiam. 194
Ad Medicinam. 199
Ad Artes. 203
Ad Artes & Medicinam. 207
Ad Jus Civile. 211
Ad Jus Canonicum. 214

Ad

Ad Jus Utrumque. 217
Profeſſor *famoſus*. 94. & ſeq. 98. 99
Profeſſores olim vagari malebant. 100
Profeſſorum electio. 24. & ſeq. & 31. Cur olim tam multi eſſent & quinam eſſent. 26. 30. Subjecti ſuffragiis Univerſitatis. 27. Doctores eſſe debent. ibid. Eligi cœpti ſunt a Senatu. 31. Commendati per Univerſitatem, 32. De illorum ſtipendio, 34. Undique quæſiti. 36. 37. Electi quidam per modum proviſionis. 36. Retenti modis omnibus. 38. & ſeq. Quidam ſubſtituti. 40. Quando docere debeant. 45. & ſeqq. Quomodo. 52. & ſeqq. Per horas diei dividuntur ac nominantur. 47. Omnes docere privatim debent. 155. & ſeq. Non licet illis de ſcripto publice recitare. 61
Promotores. 74. & ſeqq. Non debent ſubſellia tenere examinandis proxima. 88
Pyrauſta. 116

Q.

Quæſtiones Doctoribus olim vetitæ. 52. & ſeq.
Quarteria urbis Patavinæ. 152
Quirinus Marcus. 10. 152

R.

Ravennatium Collegium. 142
Recitare de ſcripto non licet Patavino Profeſſori publice docenti. 61

Rector Gymnaſii primus. 10. Geminatus. 14. Utraque Univerſitas ſuum habet. 15 Rectorum dignitas, olim quanta eſſet, & quomodo caperetur. 16. & ſeq. Eorum auctoritas. 17. Jura & commoda. ibid. & 18. Eorum munus ad Profeſſores transfertur. 22. Olim regebant Circulos, & interrogabant. 63. Theſes publice defendebant. 66
Rectores Civitatis in Gymnaſium invitati. 20. Interſunt Gymnaſticis conciliis. 26. Eorum auctoritas in Gymnaſium. 152
Reformatores Gymnaſii inſtituti. 153. Eorum munus, auctoritas, miniſtri. 154. Gymnaſium inviſunt. 155. Eorum ſeries. 156
Regens quinam in Theologicis ſtudiis. 79
Ridium Collegium. 129
Ridius Nicolaus, & Daniel. ibid.
Rigoroſum experimentum. 83
Rocluſcus Raynaldus. 33
Rogerius Bonifacius. ibid. & 106
Rolandini chronica. 2
Roſatus Antonius, 125. 137
Rotulus quid ſit. 28. Quando olim conderetur. 45.
Ruinus Carolus a tota Univerſitate domum deductus. 65
Ruzzinus Carolus, ejuſque mors, & elogium. 157. & ſeq.
Rymeri Thomæ Collectio Diplomatica. 118

Sac-

S.

SAccenſes Scholares. 144
Sagæ pueros interimunt intra annum ætatis primum. 111
Sagredus Nicolaus Venetiarum dux. 18
de Salerno Benedictus. 171
Salernus Julius. 33. 105
a Sancto Georgio Joannes. 60
Schola privata. 55. 105
Scholæ Gymnaſii novæ. 57. 61. Publicæ quænam dicerentur. 9. Earum copia cui bono ſit. 25. 44. Quænam olim a Scholaribus regerentur. 29. Ordinariæ vacare non debent. 36. Secundæ olim geminabantur. 37. Quomodo dividantur. 48. Quibus diebus, & horis exerceantur. 45. 48
Scholares quinam dicantur. 8. 13. Quomodo diviſi, & quibus præditi bonis. 14. 21. Quomodo ſtudeant, & quibus rebus ſtudeant. 50. 101. & ſeq. Anno 1564. plurimi eſſent. 105. Cur ceſſarint. 106. Cur Rectorem ſui ordinis amiſerint. 22. Aliquando publice docuerunt. 28. Facultas illis ablata eligendi Profeſſores. 31. & ſeqq. Relicta proponendi. ibid.
Sententiarii Baccalarii. 82
Serry Fr. Hiacynthus. 117
Severi Alexandri liberalitas erga doctores ac diſcipulos. 119
Sexterii Venetiarum. 132

Se-

Sexvir. 161. & ſeq.
Silvaticus Benedictus. 34
Simon Legum Doctor. 2
Socinus Marianus. 39
Sollicitatores Studii. 153
Sommaſchenſes Patres. 142
Sophiſticæ artis interpretes. 55
Spinellus Belfortis, ejuſque Collegium. 131. & ſeq.
Straticò Antonius Collegii Cottunii Rector. 151
Subſtituti Profeſſores quinam fuerint, cui bono eſſent, & quare ſublati. 39. & ſeqq.
Superantius Franciſcus, ejuſque mors, & elogium. 156. Andreas. 158
Superchium Collegium. 143
Supraordinarii Profeſſores. 49
Sylveſter II. P. M. 6
Syndicus Univerſitatis, alio nomine Sapiens. 15. Rectoris honorem & jura conſequitur. 18. Gratulatur Duci Venetiarum. ibid. & ſeqq. Creatur Eques D. Marci. 20

T.

TArviſiani Scholares. 134. 139
Tempus docendi. 45. & ſeqq.
Tentari quid ſit. 82
Tertiani Profeſſores. 29. 55
Theologia, & ejus ſectæ. 58. 78. Quando inducta in Gymnaſium. 77. & ſeq. Ejus ſchola appellatur Univerſitas, nec ſubjicitur aliarum Univerſitatum oneribus. 80

Theo-

Theologi Patavini conſuluntur. 116. & ſeq.
Theologica Laurea quanto olim impendio conſtaret. 80. & ſeq. More nobilium quibus conferatur. 86. & ſeq. Quam facile acquiratur. 88. Diplomata, per quæ confertur. 182. & ſeqq.
Theologici Collegii adumbratio prima. 79. Non ſubjicitur Artium Collegio. ibid. & ſeq. Quinam poſſint in illo locum habere. 85. & ſeq. Ab illo quidam excluſi. 86. Nunc a quibus teneatur. 87. Quam ſit copioſum. 88. 116.
Theupolus Laurentius, ejuſque mors, & elogium. 161.
Theophraſtus. 32
Titulorum diplomata. 165
Tomitanus Bernardinus. 103. Galeacius. 147
Tornacenſe Collegium. 120. & ſeqq.
Tractatores Studii. 152
Tronus Nicolaus Eques. 22
Typographica ars, Ejuſque effecta. 25. 31. 94. 98. 104. 106. & ſeq.

V.

VAcantes dies cur, & a quibus occupentur. 48
Vacationes. 46
Variatio quid. 83. & ſeq.
Veneti juvenes ex ordine Patricio petunt a Collegio Magiſtrum Egnatium. 104. Collegium Patavii illorum gratia inſtitutum. 148. & ſeq.
Venetus Senatus curam Gymnaſii ſuſcipit. 35. 153.

Ve-

Veronenſes Gerardus, & Matthæus frater. 41
Verrius Michael. 117
Veſperiæ, & *Veſperiatus*. 83
Vetuſtatis laus. 50
Vicetinorum Scholæ. 10
de Vicomercato Thadæus. 95
Univerſitas quæ ſit. 8. Quid ſit. 24. Cui bono ſit. 25
Urbani V. diploma. 79
Urium Collegium. 144

Z.

Zabarella Franciſcus. 38. 53. 172

FINIS.

ERRATA				CORRIGE
Pag. 50.	lin.	7.	*Paginæ* que	*Paginæ*que
57.	l.	2.	erant	erant ,
70.	l.	25.	repetamus;	repetamus,
71.	l.	24.	Gramaticis	Grammaticis
79.	l.	2.	ſtimicis	miſticis
111.	l.	24.	judicio	indicio
128.	l.	14.	Raguma	*fortaſſe* Ragnina
160.	l.	25.	*Gymnaſiii*,	*Gymnaſii*
147.	l.	25.	ejus	hujus

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

605658,705

Digitized by Google

Digitized by Google